HISTORIA

IVDAICA

Res utilis est homini nihil scienti

CONTEXTA POPULI IUDAICI HISTORIA A REditu ex Babylonico exilio, usque ad ultimum excidium Hierosolymæ.

PAULO EBERO
KYTINGENSI
Autore.

Anno
M. D. XLVIII.

VVITEBERGÆ,
Vitus Creutzer.

Qui mel in ore gerit, et retro pungere quaerit
Eius amicitiam, Nolo mihi Sociam

PAVLVS EBERVS Kytingensis, Friderico Bernbeco, uiro præstanti uirtute & fide, S. D.



ANC imaginem perpetuo mecum in mente circumfero et sæpe intueor, meq́; eius consideratione in his curis et doloribus mediocriter sustento. Vt Mariam, Elizabeth, Annam, et similes multas honestas matronas, ingenijs, sapientia, uirtute, forma excellentes, custodiuit Deus sine præsidijs humanis, cum quidem in tota Iudea uagarentur aßidue exercitus multarum gentium, Syriaci, Aegyptij, Arabici, Parthici, deniq; & Iudaici, cruore ciuium polluti, et loca omnia cædium, rapinarũ et stuprorum plena essent: Ita nunc quoq; in his tumultibus et confusione Reipub. Deum seruaturum esse multas pias familias, non dubito. Non enim casu natum est genus humanum, non casu rerum natura ex atomis conflata est, sed certo consilio Deus et condidit genus humanum, et prodiens ex arcana sede sua, illustribus et multis testimonijs crebro sese patefecit homi-

hominibus, ac affirmat se colligere coetum socium æternæ consuetudinis, qui cœlestis doctrinæ custos est.

Etsi autem testimonia huius suæ uoluntatis multa et perspicua Deus ostendit, et sæpe mirandis liberationibus declarauit, sibi curæ esse hunc cœtum, tamen ingens multitudo hominum, cum uidet huius agminis paucitatem, miserias, & deformitatem, nequaquam existimat hanc generis humani sentinam, ut sic nominem, et hunc συρφετὸν, uel curæ esse Deo, uel anteferri florentibus imperijs, in quibus multi sunt sapientia et uirtute præstantes gubernatores, uniuerso generi hominum salutares. Confer enim huius ipsius ætatis, quæ in historiola huius libelli recitatur, Politias ambas, Iudaicam et Romanam. Quid fuit pulchrius Romano senatu, in quo Scipio, Lælius, Scæuola, Cato, Fannius, Philus et multi similes erant, qui et suos mores summa grauitate, et consilio ac uirtute orbem terrarũ regebant, Aspice paulisper hæc lumina Romani Senatus, ac deinde oculos ad Iudæam flectito, ubi uidebis Sacerdotes domestica bella mouere, et ciuili sanguine aras et templum polluere, cadauera iacere interfectorum seniũ paßim in uicis, & in ipso templi uestibulo strata, Antiochum in omnibus oppidis crudele latrocinium exercere, et in templo præsidium collocare,

 ac Baccha=

ac Bacchanalia in ea celebrare urbe, in qua ſola ueri Dei templum fuerat.

Erat eo tempore comes Scipionis in legatione Alexandrina Polybius, uir ſapiens et doctus, qui et diligentißime deſcripſit Reipub: Romanæ ordinem. Hunc ſenem quid cogitaſſe exiſtimas, aſpicientem illam Iudeæ deformitatem? utros Deo cariores eſſe ſenſit, Scipiones, Lælios, et ſimiles ſumma cum gloria uiuentes, An uero miſeros illos Iudæos, qui interfici malebant, quam ſuilla carne ueſci? Hic uero non dubitauit, et imperium diuinitus conſtitutum eſſe, et uirtutem Scipionis pulchriorem imperio, Dei opus eſſe, et Scipionis mentem Dei templum eſſe, Iſtos uero miſeros faſcinatos inani ſuperſtitione, ut ipſe arbitrabatur, negligi a Deo, uel potius dare iuſtas ſtulticiæ pœnas cenſuit. Sic omnibus ætatibus de Eccleſia, multi deformitatem eius intuentes, iudicant.

Sed uox diuina erudijt nos de cauſis miſeriarum humanarum, et monſtrauit alias normas, ex quibus certo iudicandum eſt, qui cœtus Deo placeat.

Quicunq; doctrinam a Deo patefactam et mandatam literis per Prophetas, & deinde per Apoſtolos, amplectuntur, ſine corruptelis, & iuxta eam doctrinam bona conſcientia Deum inuocant, hi uere ſunt ciues Eccleſiæ Dei, ubicunq; ſunt, et qualiſcunq; fortuna eſt.

Edita

Edita enim promißione de filio, Deus initio & uocauit & condidit Ecclesiam, & eius uocis professione seiungit eam ab omnibus gentibus. Vt igitur extra arcam Nohæ in diluuio nulli homines seruabantur incolumes, ita extra hunc cœtum, qui amplectitur Euangelium, nulli sunt hæredes æternæ consuetudinis cum Deo, ut sæpe affirmant dicta cœlestia, & Paulus inquit: Quos elegit, hos & uocauit.

Etsi autem ut arca illa cum in undis ueheretur, undiq; fluctib. quassabatur, ita Ecclesia singulari Dei consilio ingentibus ærumnis onerata est, tamen & uult eam conspici & agnosci Deus, & signa addidit non fallentia, quæ certo monstrant, quæ sit & ubi sit uera Dei Ecclesia, omnes uidelicet homines, ubicunq; sunt, quamuis in diuersa imperia sparsi sunt, qui sunt ueræ doctrinæ custodes, & inuocatione sua & confeßione ostendunt se doctrinam de filio Dei traditam per Prophetas & Apostolos amplecti, & Epicureos furores execrantur, ac Idola fugiunt.

Multum autem prodest & ad agnoscendam Ecclesiam, & ad erudiendos nos ac consolandos, historiæ omnium temporum consideratio. Vt enim in artibus multum lucis exempla addunt præceptis, ita in hac dijudicatione confirmamur exemplis. Et uoluit

Deus extare historiam Ecclesiæ inde usq; ab initio perpetuam, primum ut certo sciremus initia, quæ doctrina a Deo, ante omnes opiniones postea natas, tradita sit, & quomodo propagata & confirmata sit, deinde ut exempla ostenderent, quale sit hoc agmen Deum inuocans, cuius una est quidem perpetua sententia & inuocatio, sed fortuna & quasi uestitus ualde dissimilis. Multitudo & frequentia alias maior alias minor est, hospitia nusquam durabilia sunt, & non diu tranquilla, Sed alicubi semper aliqua docentium sedes est, unde in cæteras gentes uox Euangelij spargitur.

Sedes doctrinæ fuit in Cananea, cum ibi Sem, Abraham, Isaac, Iacob, non tantum familias suas, sed etiam uicinos Reges & ciuitates de Deo erudirent. Postea in Aegypto lux doctrinæ accensa est a Ioseph. Data tandem certa & durabilis sedes Israelitis, unde uelut ex celebri Academia uox diuina fere ab omnibus gentibus exaudita est.

Leges Mosis

Quanquam autem hæc sedes diuinitus attributa erat Israelitis, & Politia constituta legibus maxime conuenientibus cum uera ratione, & a Deo traditis, tamen fere adsiduis bellis, tumultibus, et seditionibus quassata est, ut pij intelligerent, alium portum sibi propositum esse. Decem tribus in totũ orbem terrarum dissipatæ sunt, ut doctrinam de Deo cæteris gentibus impertirent.

Postea

Postea et reliquiæ Israelitarum, Iudæi, post excidium Hierosolymorum in Chaldeam abducti sunt, nec restituta est patria ante septuaginta annos. Quam miserum sit autem, exulare totas gentes, & uagari cum familijs & paruis pueris, sine certo hospitio, et inter superbos uictores uersari, quorum aliæ sunt de Deo opiniones, & quorum mores ac sensus in multis rebus discrepant ab hospitum moribus, nemo uerbis satis explicare potest.

Alibi a Mariti complexu abstracta est uxor forma & uirtute excellens, alibi filiæ ereptæ parentibus, deniq; uariæ familiarũ distractiones factæ sunt, quas Esaias deplorans, insigni imagine pingit cũ ait: Iniquitates nostræ ut uenti dißipauerunt nos.

Has calamitates cum cernerent Chaldeorum sapientes, nequaquam hanc miserrimam turbam, Dei Ecclesiam esse iudicarunt. Sed refutauit Deus ipse talia hostium iudicia, & insignia testimonia suæ præsentiæ in confeßione eorum ostendit, qui statuam Regis Babylonici adorare noluerant, quæ testimonia multorum animos ad agnitionem ueri Dei in illis ipsis gentibus flexerunt.

Rursus igitur noua gloria inter Exilij ærumnas Ecclesia ornata est, ut iam conspectior esset, & ut uox eius magis exaudiretur, Quam quidem & sum-

mi Reges quinq;, qui non ſolum Imperij magnitudine, ſed etiam uirtute fere omnibus, omnium ætatum Regibus antecelluerunt, amplexi ſunt, Nabugdonoſor, & filius eius Euilmerodach, Darius Medus, Cyrus, Artaxerxes μακρόχειρ.

Tandem & reditus in patriam conceſſus eſt, & inſtauratio templi & urbis facta eſt. Ibi nouæ migrationes, & inter uicinos inimicos oppidorum inſtaurationes difficiles & plenæ ærumnarũ fuerunt. Decretum etiam Cyri de inſtauratione templi, poſt ipſius Cyri, ut ratiocinor, expeditionem ſuſceptam aduerſus Scythas, annis aliquot impeditum eſt.

Sed quia uoluit Deus in loco noto & certo exhibere filium, inſtaurari eam ſedem neceſſe fuit, Et ſemper in hac Politia aliquod fuit ſemen ſanctum, ut nominat Eſaias, id eſt, aliqua uera Dei Eccleſia, etiamſi poſt inſtaurationem maior deformitas ſecuta eſt, quam qualis in exilio fuerat.

Syriaci & Aegyptij Reges ſtatim poſt Alexandrum ſæpe in Iudæam irruptiones fecerunt, & multa millia hominum trucidarunt.

Poſtea Antiochus, qui cum ſibi cognomen indidiſſet Epiphanis, propter mores, alluſione mutata uoce, dictus eſt ἐπιμανής, & doctrinam a Deo

traditam

traditam, & gentem uniuersam, quæ custos erat eius doctrinæ, horribili furore delere conatus est.

Quo tempore quanquam Deus repreßit Antiochum, tamen magnæ uastationes factæ sunt, & cum bella ex bellis orta essent, non solum multi ciues extincti sunt, sed etiam disciplina ualde labefactata est.

Nec iam externa tantum arma in Iudæa grassabantur, sed sacerdotes ipsi inter se dimicabant, & ciuili cruore templum & aras polluebant, Et natis diuersis, sectis ueræ doctrinæ fontes ueneno infecti sunt. Deformitas erat multiplex, sacerdotum ambitiones, & orta ex ambitionibus ciuilia bella & parricidia, dißidia dogmatum, supplicia recte sentientium.

Hac specie multi mouebantur, ut existimarent falso gloriari hanc gentem, in sua politia Dei Ecclesiam esse, & hanc gentem Deo magis curæ esse, quam cæteras, Ridebatur hæc opinio non tantum ab exteris, sed etiam a multis ciuibus.

Etsi autem in tali dißipatione & deformitate uix conspici Ecclesia poterat, erant tamen reliquiæ mediocres, Simeon, Zacharias & multi horum Doctores & discipuli.

Quorsum hæc commemoratio tota pertinet?

Multæ causæ sunt, Primum retinenda est hæc consolatio, Semper esse & manere ueram aliquam Dei Ecclesiam, etiam in hac mortali uita, semper ut aliqua pars generis humani Deum uere agnoscat, inuocet & celebret, Et hanc partem uere respicit & exaudit Deus.

De hac perpetuitate Ecclesiæ multa dicta concionantur, ut apud Esaiam dicitur: Hoc est fœdus meum, inquit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non auferentur ex ore tuo, & ex ore seminis tui unquam deinceps in sempiternum, Et filius Dei inquit: Maneo uobiscum usq; ad consummationem Mundi;

Hanc tantam consolationem sæpe cogitemus, ac sciamus non frustra traditam esse. Adfirmat Deus, se nunquam deserturum esse genus humanum, Et simul ostendit ubi & in quo cœtu uelit adesse. Non iudicemus de Ecclesia ex titulis aut locis, aut fortuna florente uel aduersa, aut Pontificum & Regum fœderibus. Signum aliud certum est, uidelicet puritas doctrinæ, ut in dicto Esaiæ inquit, uerba mea, quæ in ore tuo posui, Et filius Dei inquit: Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit, & pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus, Loquitur enim hæc sententia de his, qui bona conscientia ueram & incorruptam doctrinam profitentur.

Postquam

Poſtquam autem didicimus, monſtrante Deo, quæ ſit uera Eccleſia, ſciamus mandatum Dei eſſe, ut ſententia, uoluntate, inuocatione, confeßione, nos ad eum cœtum adiungamus, ubicunq; eſt, nec ſæuiciam adiuuemus, quæ in ueræ doctrinæ cuſtodes exercetur.

Docet ipſe filius Dei, quomodo colligat Eccleſiam: Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, uult ſe recipi, hoc eſt, uult ſingulos amplecti uocem Euangelij incorruptam, quod cum facimus, ſumus filij Dei, ſocij ueræ Eccleſiæ, & inuocantes Deum fiducia filij mediatoris, uere exaudimur, regimur, & ſeruamur a Deo.

Cum hac confirmati doctrina de Eccleſia, nos in hoc ipſum Tabernaculum Dei, ut Pſalmus loquitur, & uelut ad aram abdidimus, ſciamus etiam uarias ærumnas nobis propoſitas eſſe, ſed in his petamus & expectemus auxilium a Deo.

Multæ ſunt enim cauſæ, quare Deus onerarit Eccleſiam tantis calamitatibus, Et uult conſpici ſuam præſentiam, cum deſertos a cauſis ſecundis ipſe ſeruat aut reſtituit, ut apud Eſaiam dicitur: Poſui in ore tuo uerbum meum, & umbra manus meæ protegam te, ut plantes cœlos.

Hoc præſidio munitæ erant matronæ illæ, de quibus initio dixi, Elizabeth, Anna, Maria, & aliæ

multæ, cum uagarentur in illis locis milites, quorum singularis erat petulantia & crudelitas. Nunc quoq; Deus eodem modo, ut illas texit, pias familias defendet, sparsas in imperia, ubi in uarijs periculis uersantur.

Harum rerum omnium cogitatione tum erudiendæ tum confirmandæ mentes sunt in lectione huius historiæ.

Imaginem uides huius senectæ Mundi. Nunc quoq; sacrificuli & Monachi potentiam, opes, uoluptates præcipue quærunt, & falsas opiniones tuentur, quia nerui sunt potentiæ et opum, & doctrinæ puritatem, ueram Dei inuocationem, partim manifesta crudelitate, partim dolis opprimere conantur.

Interea tamen & sunt & erunt multi custodes ueræ doctrinæ, quorum uox auditur, Et quanquam multi dispersi sunt, tamen alicubi sedem aliquam doctrinæ Deus seruabit, & ut diu seruet ardentibus eum uotis oremus. Nec difficile iudicium est: quorum uox & confeßio cum Euangelij uoce incorrupta congruit, hos uere ciues esse Ecclesiæ Dei non dubium est.

Cum autem bonæ mentes sciant unicum esse portum uitæ humanæ, ueram Dei agnitionem & inuocationem, & uideant non obscuram esse cœlestem

doctrinam

doctrinam ijs, qui mentes ad eam dociles adferunt, amplectantur eam, & se promißionibus diuinis sustentent, et statuant inuocationem suam nequaquam irritam esse.

Hæc consolatio sola magnis doloribus medetur, quia & præsentiam Dei monstrat, et exitum ostendit, proposita æterna consuetudine cum filio Dei, & uniuersa Ecclesia.

Tibi uero FRIDERICE carißime, dedicaui hoc scriptum, quia scio te in hac confusione temporum, & ex cœlesti doctrina, & ex historia Ecclesiæ, remedia curarũ præcipua petere. Bene uale. Data Vuitebergæ, Anno post natum CHRISTUM 1545. Die Pentecoste, qua celebratur memoria admirandæ patefactionis Spiritus sancti, quem æternus pater, & filius eius, dominus noster Iesus Christus, ex arcano cõcilio diuinitatis in pectora Apostolorũ miserunt, ut testimonium perspicuũ extaret, uere effundi et in cæteros pios spiritum sanctum iuxta promißionem diuinam, & nostra corda Deo copulari hac amoris flamma ex pectore æterni patris, & filij in nos transmissa, Fuitq; hæc Pentecoste huius anni, 3057, inde usq; a prima Pentecoste ab exitu Israelitarum ex Aegypto, in qua Lex diuina uoce in rupe Sinai promulgata est.

Philip.

PHILIPPVS MELANT:
Lectori S. D.

DE Aenea intuente picturam Troiani belli in templo recens condito à Didone, inquit Virgilius:

> Sic ait, atq; animum pictura pascit inani.
> Multa gemens, largoq; humectat flumine uultũ.

Etsi autem quæri potest, cur dixerit Poeta, pasci animum aspicientem picturam, cum quidem recordatio calamitatum Patriæ, tristes gemitus & lachrimas cieret, tamen multæ causæ sunt, propter quas recte dicit, aspectione picturæ, leniri dolorem, quia & ipsa uirtutis consideratio in tantis ærumnis aliquam adfert leuationem, deinde & illud uerum est, gemitibus & lachrymis quasi laxari animorum angustias, ut Poeta inquit, Expletur lachrymis egeriturq; dolor. Et Euripides ait, ὡς ἡδὺ δάκρυα τοῖς κακῶς πεπονθόσι. Non solum autem nostrarum rerum pictura, sed multo magis etiam rerum ueterũ historia, in quibus imago est nostrarum, lenit dolores, præsertim in Ecclesia, in qua ueræ causæ miseriarum & liberationum ostenduntur. Primum exempla admonent nos de modestia, ne inæqualem in Ecclesia fortunam expetamus. Cum filius Dei, et præcipua

cipua lumina nostri agminis, magnas calamitates cer to Dei consilio tulerint, inæquale & iniustum esset, nos tantum suaue ocium expetere, cum quidem ira Dei nostris delictis irritata sit. Deinde iuuat cernere in bonis exempla fidei, inuocationis, confeßionis, & aliarum uirtutũ. Postremo alia consolatio proponitur, ignota Ethnicis historijs. Nunquam opprimitur tota Ecclesia, quæ uocẽ ueræ doctrinæ sonat, etiamsi uarijs ærũnis magni cœtus dißipantur. Interim tamẽ Deus nõ solum priuatim aliquos recte sentientes, sed etiam publice cœtus aliquos et ministerium Euangelij, & aliqua piorũ studiorum domicilia seruat, alias magis, alias minus tranquilla & ornata. Hi euentus cum leguntur in historijs Ecclesiæ, nos de promißionibus diuinis admonent, ac testimonia sunt promißionum, nosq; ad spem & expectationem mitigationis publicarum miseriarũ inuitant, & accendunt in nobis uota, quæ ipsa etiam conducunt ad flectendam iram Dei. Multum igitur prodest legere piorum facta & euentus. Et sunt aliæ multæ causæ, propter quas necessaria est omnibus cognitio historiarum Ecclesiæ. Necesse est scire initia et propagationem doctrinæ a Deo traditæ, unde, quibus testimonijs, per quos doctores, et initio tradita sit doctrina, & propagata. Voluit igitur Deus extare historiam Ecclesiæ inde usq; ab initio generis humani, usq; ad nostra

tempora

tempora. Ac ſingulari beneficio deſcriptiones conti-nuas maximarum mutationum in imperijs ſeruauit. Decet igitur noſtram diligentiam accedere, ne mo-numenta rerum maximarum intereant, ſed ut illu-ſtrentur, & ſint in manibus hominum. Quare bo-nis mentibus ſpero gratum fore hunc Pauli Eberi la-borem, qui prudenter contexuit hiſtoriam populi Iudaici a reditu ex Babylone, uſq; ad politiæ Iudaicæ finem, de multis & tetris confuſionibus eius tem-poris, quod magna ex parte imago eſt huius ultimæ ſenectæ mundi. Multa autem monet rerum ſimilitu-do, quorum cogitatio prodeſt ad hanc conſideratio-nem, quæ, & ubi ſit uera Dei Eccleſia, & quo diri-genda mens ſit in his confuſionibus generis humani, & unde petenda ſint præcipua dolorum remedia. Prodeſt etiam cognitio huius hiſtoriæ ad multos lo-cos in libris Propheticis et Apoſtolicis intelligendos. Fuitq; initio cauſa huius operis inſtituendi præcipua, quod in enarratione Danielis, Zachariæ, & Apo-ſtolorũ opus eſt seriem harum rerum, quæ hic reci-tantur, noſſe. Accipe igitur hoc munus candide Le-ctor, quod prodeſſe alicubi poterit, & nocet nemini. Talia ſcripta eo magis cum fauore excipienda ſunt, ut ſtudia bonorum uirorum inuitentur ad ſi-miles labores Eccleſiæ utiles, cando-re legentium. Bene uale.

Contexta

CONTEXTA IVDAICI populi Historia a reditu ex Babylonico exilio usque ad ultimum excidium Hierosolymæ.



ON DVBIVM est singulari consilio, Deum ęternum patrem domini nostri Iesu Christi, qui genus humanum condidit, ut æternam inde Ecclesiam sibi colligat, tradidisse perpetuam historiam inde usque ab initio conditionis rerum. Etsi autem Democritus & similes, qui retro æternitatem mundi, aut innumerabiles mundos somniant, rident hæc initia rerum, & eorum narrationes fabulosas esse existimant,

mant, tamen cum Deus illustribus testimonijs, resuscitatiõe mortuorum & alijs, monumenta Moisi confirmauerit, uerissima esse statuamus. Quanquam autem propter diuina testimonia præcipue illam ueterem Ecclesiæ historiam amplectimur, tamen & signa multa sunt ueritatis, quia uetustæ gentium adpellationes congruunt cum ea patrum serie, quæ ibi recitatur, & ordo Imperiorum talis fuit, qualis ibi partim fuisse recitatur, partim futurus prædicitur. Est igitur & uera & antiquissima omnium historiarum Prophetica. Ideo autem historia con tinua tradita est, nõ solum, ut initia generis humani sciremus, sed multo magis, ut promissiones de

filio

filio notæ essent, et sciremus, quæ sit prima & incorrupta de Deo doctrina, & quæ testimonia subinde de doctrina, exhibita sint, & qualis Ecclesiæ gubernatio fuerit, quomodo, ut cymba inter fluctus maris, inter uarios imperiorum tumultus seruata sit, & quæ sint Ecclesiæ certamina, & fidei exercitia. Magnum autem beneficiũ Dei fuit, quod certam Ecclesiæ sedem, ceu Academiam certam amplius annis mille quingentis in loco oportuno, inter duo potentissima regna attribuit, inter Ægyptium & Babylonicum, ut in utroq; regno exaudiri vox doctrinæ posset. Ibi & promissiones repetitæ sunt, & addita miracula, quæ testimonia fuerunt præsen-

tiæ Dei. Has tantas res mandari literis voluit, ut poſteritas & ueram doctrinam, & Eccleſiæ certamina, & liberationes noſſet. Etſi autem non extant monumenta ſcripta publica autoritate de extremo tempore, tamen Deo curæ fuit, ne hæc ultima hiſtoria prorſus ignota eſſet, Sed res præcipuæ partim a Ioſepho, partim a Philone recitatæ ſunt. Has collegi, ut continuam Iudaici populi hiſtoriam uſq; ad excidium Babylonicũ ſtudioſi haberent. Voluit autem Deus ipſe in genere humano extare continuam ſeriem hiſtoriarũ. Nam cum Propheticæ hiſtoriæ uſq; ad regnum Perſicum, ſeu uſq; ad Cyrum perueniant, poſtea Græca & Latina hiſtoria recitat maxi-

mas ſequentium Imperiorum mu-
tationes. Et proxime ſequitur hi-
ſtoria ſcripta ab Apoſtolis de filio
Dei, nato ex uirgine Maria, cruci-
fixo & reſuſcitato.

Deinde Eccleſiæ hiſtoriam Eu-
ſebius, Epiphanius, & Nicepho-
rus contexuerũt. Nec uero dubi-
to omnes ſanos fateri, neceſſariam
eſſe cognitionem ordinis tempo-
rum, quo & doctrina patefacta
eſt, & exhibitus filius Dei, & Ec-
cleſia multis modis collecta, &
magnis fluctibus quaſſata, & rur-
ſus liberata eſt. Quare Deo gra-
tias agamus, quod continuam hi-
ſtoriam generi humano tradidit,
& monumenta pio ſtudio ſerue-
mus, qua in re cum mediocriter e-

laborauerim, ſpero hunc libellum piis lectoribus gratum fore. Initium autem catalogi eſt, ſeries ſummorum Sacerdotum, qui unà cum Principibus, qui ex regia tribu nati fuerunt, poſt reditum ex Babylone populum Iudaicum rexerunt.

SERAIA,

|

IOSEDEC.

Ambo abducti sunt Babylonem a Rege Chaldeorum Nabuchodonosor, & in exilio mortui.

IOSVE uel IESVS, Cum Principe Zorobabel reuersus est in Iudeam, Anno ante Christum natum quingentesimo tricesimo sexto, Vixit sub regibus Persicis Cyro, Cambyse, Dario Histaspis, Xerxe, usq; ad uicesimum annum Artaxerxis Longimani, & præfuit summo sacerdotio primum annis 36. Vbi cum impediretur ædificatio templi, profectus Babylonem ad Darium Histaspis, quem Assuerum Historia sacra nominat, abfuit octo annos, Deinde reuersus præfuit alios uiginti annos. Hunc Philo existimat scripsisse Historiam Iudith, quam tamen aliqui antiquiorem esse putant.

Huius IESV filius, IOACHIM.

IOACHIM absente patre octo annis, & post eius obitum 48. An. tenuit sacerdotium. Vixit sub Longimano, Dario Notho, usq; ad 12. annum Artaxerxis Assueri, qui & Mnemon dicitur. Hic conscripsit Historiam Hester, & memoriam Phurim, hoc est sortium instituit, ut scribit Philo.

Huius filius ELIASIB.

ELIASIB sacerdotio summo præfuit annis 21. usq; ad tricesimum quartum annum Artaxerxis Mnemonis. Huius filius

IVDAS uel IOIADA.

IVDAS præfuit annos 24. usq; ad tertium annum Ochi, qui successit Mnemoni. Huic filij duo fuerunt.

IOHANNES. & IESVS.

IESVS. Hic ambitione incensus Vogesam Satrapam Persicum, sibi amicum largitione fecit, ut eius auxilio adiutus sacerdotium summum fratri eriperet Sed mox pœnas impij conatus luit. Nam in ipso templo orta contentione & conflictu, á fratre occiditur. Hoc initium malorum in Iudea fuit, post reditum ex Babylone annis ferme 170.

IOHANNES cum fratrem Iesum occidisset in templo, tristem seruitutem populo suo accersiuit. Nam Vogeses Satrapa cognita nece amici sui Iesu, cum exercitu Hierosolyma ingressus, Templum polluit & spoliauit, illud iam ante á sacerdote summo fratris sanguine prophanatum dictitans. Exegit & septem annos tributum duriter, ita ut cogeret Iudeos pro singulis pecudibus mactandis in sacrificio, quinos

coronatos

coronatos pendere. Præfuit annis 24. usq; ad mortem Ochi, & initium regni Arsamis.

Huius filij fuerunt.

IADDVS. MANASSES.

MANASSES imitatus exemplum Iesu, ut se potentia aduersus fratrem muniret, adfinitate sibi iunxit uicinum Satrapam Sannabalath Chutteum, missum in Samariam á Dario ultimo, ducta uxore eius filia Nicasso. Cumq; ob id illicitum matrimonium repelleretur á ministerio sacerdotali, cum multis alijs ob eandem causam Sacerdotij functione priuatis, confugit ad soccrum in Samariam. Is postea impetrata potestate ab Alexandro Magno extruxit nouum templum in monte Samariæ altissimo Garizin, simile figura & magnificentia Hierosolymitano templo, cui generum Manassen præfecit.

Hæc distractio Sacerdotum magnos postea tumultus in Iudea excitauit. Nam cum ad hoc templum confugerent omnes, qui ob uiolatas ceremonias Legis Mosaicæ aut alia facinora Hierosolymis eijciebantur, breui tempore auctis uiribus hi Sacerdotes & transfugas & Samaritas contra Iudeos concitarunt, unde crebræ excursiones & latrocinia utrinq; deinceps extiterunt

titerunt

ſiterunt. De huius Manaſſæ poſteritate nihil legitur. Sed poſt ducentos annos hoc templum in monte Garizin funditus deletum eſt á Iohanne Hyrcano Simonis Aſmonei filio & ſucceſſore.

IADDVS ſummum ſacerdotium tenuit 10. annos, ſub Arſame & Dario ultimo, uſq; ad Alexandrum magnum. Hic & fratrem Manaſſen, & alios ſacerdotij iure priuauit, eo quod alienigenas mulieres contra legem Dei matrimonio ſibi copulauerant. Alexandro autem Magno Tyrum obſidenti, & auxilium ac tributum ab ipſo petenti, quod ante hac Perſis Iudei ſoluiſſent, reſpondit Iaddus ſe Dario uiuente, cui iurauerit, alium Dominum non agnoſcere. Fuit enim Iudaica gens tributaria Perſicorum regũ fere à tempore reditus ex Babylone. Quare iratus Alexander, poſt captam Tyrum & Gazam, cum infeſto exercitu ad Hieroſolymorum urbem aſcendens, Vi ſubigere Iudeos cogitabat. Sed Iaddus per ſomnium monitus, ſumpto ornatu ſacerdotali, cum omnibus Sacerdotibus ac ciuibus Alexandro ſupplex occurrit, qui conſpicatus ſummum ſacerdotem ad pedes deſilijt, & adorauit. Deinde rogatus cauſam, cur hoſti ſupplicanti, ipſe prior quaſi fieret ſupplex, reſpondit, in Macedonia adhuc, cogitanti ſibi de Aſiæ imperio, per

quietem

quietem tali specie & habitu, qualem hic cerneret, uisum uirum, autorem fuisse suscipiendæ expeditionis in Asiam, & spem successuum fecisse. Inde ingressus cum exercitu in urbem Alexander, non modo hostile nihil fecit, Verum etiam peracto sacrificio, templum donarijs magnificis ornauit, & decedens libertatem legis patriæ tenendæ & septimi anni, quo agri non conseruntur, immunitatem Iudeis concessit.

IADDO filij fuerunt.

ONIAS. MANASSES.

MANASSES. De hoc nihil legitur aliud, quam quod nepoti Eleazaro successerit, & amicus Seleuco Callinico fuerit, quodq; sub ipsius gubernatione Samaritæ æmulatione templi & cultuum infesti Iudæis, agrum Hierosolymitanum ferro & igni uastauerint, Aliqui tamen hunc non fratrem Oniæ, sed coniugis eius fratrem fuisse dicunt.

ONIAS appellatus Priscus.

Huius tempore Ptolemeus Lagi, ut sibi tributariam faceret gentem Iudaicam, fraude tanquam sacrificaturus die Sabbati, Iudeis arma capere per legem non audentibus, urbem Hierosolymorum ingressus, sæuijt

sæuijt in ciues, & aliquot millia Iudeorum captorum loco obsidum abduxit in Aegyptum.

Oniæ filij fuerunt.

SIMON. ELEAZARVS.

SIMON Iustus ob pietatem & erga gentem suam benignitatem appellatus est. Sub hoc sacerdote summo, pacem Iudei habuerunt, dum successores Alexandri Magni, Antigonus, Demetrius, Seleucus, & cæteri de Monarchia orbis in Asia & Græcia certarunt.

ELEAZARVS, Successit Simoni fratri, ut tutor Oniæ secundi adhuc infantis. Sub hoc Ptolemeus Philadelphus plures quam centies mille Iudeos partim â Persicis regibus, partim à patre Ptolemeo Lagi captiuos in Aegyptum perductos, atq; ibi seruitutem seruientes liberat, numerans pro singulis captiuis λύτρον XII. coronatos ex fisco regio. Idem missis Legatis cum magnificis munerib. ad Eleazarum summum sacerdotem, postulauit 72. Iudeos mitti, qui transferrent ex lingua Ebraica in Græcam scripta Mosi & Prophetarum, eos postea opere perfecto amplissimis donis ornatos domum remisit cum mensa aurea templo dicata, & alijs ingentibus donis. Huic

Eleazaro

Eleazaro mortuo succeßit Manasses patruus, uel, ut aliqui uolunt, auunculus, (nam utrunq; significat Græcis θεῖος) de quo supra dictum est.

SIMON.

Tobias, quem Philo et Lucas cap. 3. uocant Matathiam.

|

Iosephus, placauit Ptolemeum.

|

Ianna Hyrcanus

Vltimus principum populi Iudaici ex tribu Iuda & ex domo Dauid, metu Antiochi Epiphanis sibi manus attulit, Lucæ 3. Post hunc summi sacerdotes omnium rerum gubernationem ad se traxerunt.

Filia sacerdotis Simonis, nupta Tobiæ ex domo Dauid.

ONIAS

Infans relictus à patre iam senex tandem adeptus sacerdotium succeßit Manassæ. Hic sua auaricia irritauit Ptolemeum regem Aegypti aduersus gentem Iudeorum, negata usitati tributi pensione. Soliti enim fuerant summi sacerdotes de suis reditibus, quotannis pro ciuibus soluere Aegyptijs regibus 20. talenta, hoc est, 12. millia Coronatorum. Sed Ptolemeum postea placauit Iosephus, nepos Oniæ ex sorore, Princeps de posteritate Dauidis.

Oniæ

Oniæ ſuccedit filius.

SIMON.

Hunc Philo iuſtum uocatum eſſe ſcribit. Sub eo Ieſus filius Sirach conſcripſit πανάρετον. Simoni tres fuerunt filij, omnes deinceps conſecuti dignitatem pontificiam, id quod clare teſtatur Ioſephus lib. 12. cap. 6.

SIMON.

ONIAS.	IESVS, qui et IASON.	ONIAS, qui et MENELAVS.

ONIAS maior ob pietatem & iuſticiam laudatur in ſecundo Macabeorum, & dicitur amicus Seleuco fuiſſe, fratri Antiochi Epiphanis, qui ſumptus omnes templo ex regni Syriaci reditibus præbuit aliquandiu. Sed poſtea cũ quidam Simon templi cuſtodiæ præfectus, & Oniæ ſummo ſacerdoti infeſtus, Seleuco regi indicaſſet, ingentẽ uim auri in templo reconditam eſſe, qua non uterentur ſacerdotes, Rex non modo reditus prius templo donatos retraxit, uerum etiam Heliodorum miſit, qui illos templi theſauros in fiſcum Regium transferret. Ibi Heliodorum ingreſſurum contumaciter cum Satellitio in adyta templi, diuinitus percuſſum & exanimatum, Onias implorata Dei ope, rurſus ſanauit.

Poſtea

Postea aucta discordia inter principem sacerdotum & Simonem proditorem, ita ut cedes fierent á Simonis amicis, Onias furori aduersariorum cessurus ad regem Seleucum proficiscitur. Sed is iam mortuus fuerat, ante quam ab Onia conueniretur, & a successore defuncti Regis Antiocho Epiphane Iason Oniæ frater impetrauerat muneribus summi sacerdotij administrationem. Quare Onias metu fratris Iasonis & Regis Epiphanis, domum reuerti non ausus, in quoddam Asylum iuxta Daphnen Syriæ oppidum confugit, unde postea fraude eductus interficitur ab Andronico regio præfecto, rogatu Menelai, qui expulso uicißim Iasone summum sacerdotium inuaserat, ut dicetur infra.

Huius Oniæ maioris filius fuit

ONIAS.

ONIAS, relictus paruulus extincto patre, postquam adoleuit, metu Alcimi pontificis cū aliquot ciuibus confugit in Aegyptū ad Ptolemeum Philometorem, á quo impetrat potestatem condendi oppidi et templi in Heliopolitano agro ad similitudinem Hierosolymitani templi, quod Onion dictum, quinq; milliaribus nostratibus à Memphi abfuit, quæ nunc Alcaira uocatur. Cum enim Ptolemeus contra Antiochum Epiphanem bellum gereret, et auxilijs uicinorū egeret,

ret, persuasus est ab Onia sacerdote, condito tali templo omnem gentem Iudeorum regibus Aegyptijs accessuram esse. Hoc templum post annos ducentos & triginta ferè, spoliatum omnibus donarijs, edicto Vespasiani Imperatoris prorsus clausum est circa tempus destructæ urbis & templi Hierosolymitani.

Filij fuerunt huius Oniæ habitantis in Aegypto.

HELCIAS. ANANIAS.

Hi fratres præfecti exercitui Aegyptio, Cleopatram fortiter adiuuerunt, ut expulso filio Lathuro regnum occuparet. Sed postea cum receptis uiribus Ptolemeus rursus per Iudeam in Aegyptum contenderet, Helcias eum persequens cum exercitu, in Syria morbo extinguitur. De posteritate sacerdotum Iudaicorum in Aegypto nihil legitur.

IESVS qui & IASON dictus est, secundus Simonis filius, mortuo Seleuco, ab Antiocho Epiphane fratre & successore Seleuci principatum sacerdotij emit quingentis talentis hoc est, tribus Tonnis auri, ut uulgo loquimur, & promissis insuper 48. millibus coronatorum annui tributi, ac ut Regem impium magis sibi

gis sibi conciliaret, gymnasia Hierosolymis extruit, & ludos instituit illis ipsis temporibus, quibus populus conuenire alioqui ad templum consueuerat. Regem Epiphanem cum exercitu aduenientem in urbem accipit magnifice, facib. prælatis, & cum canticis, continentibus encomia Regis, quo tempore Rex abiens, præsidium in arce Hierosolymitana reliquit. Hoc fuit initium seruitutis eius, quæ secuta est intolerabilis. Cumq; triennium tenuisset summum sacerdotium Iason, & Menelaum fratem misisset cum pecunijs & quibusdam mandatis ad Antiochũ, simili fraude sacerdotio exuitur, quo ipse fratrem Onian spoliauerat. Quare metu Menelai fugiens in Ammonitidem, ibi delituit, donec Antiochus ingressus cum exercitu Aegyptum, uano rumore ferebatur mortuus. Ea fama excitatus Iason cum mille armatis subito in urbem irrupit, ac cum ciuium studia haberet propter crudelitatem & rapinas Menelai, plurimis interfectis de factione Antiochi, Menelaum in arcem ad præsidium Syriacum fugere compulit. Sed audito Antiochi reditu ex Aegypto, spe sacerdotij obtinendi frustratus, iterum confugit ad Ammonitas, á quibus tamen propter metum aduentantis cum exercitu Antiochi, non recipitur. Deinde cum ob eandem causam ab Areta Rege Arabiæ quoq; finibus

arceretur, neq; in Aegypto receptum haberet, tandem desertus ab omnibus, ad Lacedemonios transfretauit, ut genere cognatos, apud quos egens & exul moriens pœnas dedit impiæ ambitionis.

ONIAS qui & MENELAVS Tertius Simonis filius, ut Iosephus scribit, Etsi secundus liber Macabeorum Cap. 3. & 4. cum dicit non fuisse Simonis sacerdotis summi filium, sed cuiusdam Simonis ex tribu Beniamin fratrem, qui templo præfuerit, cuius supra in Onia mentio facta est. Hic Menelaus a Iasone principe sacerdotum cum pecunijs & quorundam negociorum mandatis ad Regem Antiochum Epiphanem ablegatus, callide & alijs officijs regem sibi & aulicos conciliat, & pollicitus trecenta talenta, hoc est, 180. millia Coronatorum, supra omnia illa, quæ Iason hactenus soluisset, & criminatus fratrem impetrat, ut principatus sacerdotij ablatus Iasoni in ipsum transferretur.

Eam dignitatem adeptus, impietatem Iasonis in Ethnicis ritibus imitatus est, crudelitatem & rapacitatem eiusdem longe superauit. Nam sub initium gubernationis, ut securius parto honore potiretur, Oniam Simonis primum filium, suum fratrem, ut Io-

sephus

sephus uult, exulem & in Asylo iuxta Daphnen Syriæ oppidum latitantem, per Andronicum præfectum cauæ Syriæ, fraude necari curauit, ob quod scelus Andronicus a Rege supplicio capitali affectus est.

Postea cum immensam pecuniam Regi promissam soluere non posset, multa uasa aurea clam ex templo surrepta uendidit, quo sacrilegio patefacto, magni motus in populo extiterunt.

Tandem missis a ciuitate Hierosolymitana tribus legatis Tyrum, Menelaus coram Antiocho sacrilegij accusatus & conuictus est. Sed placato Rege per aulicum quendam Ptolemeum, pecunia corruptū, absolutus, effecit, ut accusatores, tanquam calumniatores, capitali pœna plecterentur, domum reuersus in ciues nouam seuiciam exercuit.

Sub id tempus quadraginta continuos dies in aëre miræ species conspectæ sunt armatorum equitum, & pedestrium copiarum, confligentium, quæ prodigia ingentium calamitatum, quæ paulo post secutæ sunt, prænuncia fuerunt. Nam cum Antiochus cum exercitu denuo in Aegyptum profectus esset, ut aperto bello regnum Aegypti occuparet, quod antea prætextu tutelæ ad se trahere frustra co-

natus fuerat, cum Ptolemeus Philometor ex sorore Antiochi natus, puer adhuc esset, Iason armata manu urbem inuasit, ut fratrem rursus sacerdotio excuteret, & cum plurimos ciues trucidaret, qui partibus Antiochi & Menelai fauebant, Menelaus inferior uiribus, in arcem ad præsidium Syriacum confugit, unde missis nuncijs implorat opem Antiochi, qui tũc Aegypto excedere Romanorum seuero mandato per Popilium compulsus, fremebundus ascendebat, metuens insuper & Iudaicæ gentis defectionem. Cumq; ad urbem adducto exercitu clausas portas, & ciues ad defensionem paratos offendisset, indignatus, Vi oppugnatam urbem sine magna difficultate cepit, cum Menelaus cum sua factione, & præsidium Syriacum ex arce erumpens intra urbem cæsis ciuibus, hostium conatus adiuuarent, & portas aperirent.

Ibi demum ingresso Antiocho, milites iussi trucidare obuios armatos, in omnem ætatem & sexum crudeliter sæuierunt, ita ut circiter octoginta millia hominum tridui spacio in urbe Hierosolymorum interfecta, aliquot millia captiua abducta, & uendita sint. Ingressus est etiam Rex, ducente Menelao, sanctissimam templi partem, & uasa sacrata manibus pollutis contrectata asportari iussit in Syriam,

una cum

una cum mille octingentis Talentis ex Gazophylacio, hoc est, nostræ monetæ ferme undecim Tonnis auri, quæ pecunia partim erat templo donata, partim erat illic deposita á uiduis & orphanis, ut in locum sanctitate & ueneratione tutiorem. Cumq; Antiochus sacerdotium summum Menelao restituisset, ac firmum præsidium militare in urbe reliquisset, Cui Philippum Phrygem præfecit hominem crudelißimum, Antiochiam cũ amplißima præda reuersus est.

Post biennium defectionem Iudeorum metuens, misit Apollonium ducem cum exercitu 22. millium ad Hierosolyma, qui nihil hostile præ se ferens, positis castris extra urbem, Sabbati diem expectauit, quo die multitudinem inermem egressam spectatum castra Syriaca, dato signo, partim confodit, partim protriuit, & impetu in urbem facto, omnia cædibus compleuit, urbem diripuit, ac multis in locis incendit, mœnia & alias munitiones demolitus est, eam partem urbis, quæ ciuitas Dauid dicebatur, muro & propugnaculis muniјt, & ualidum præsidium imposuit. Hæc omnia erant præparatio ad ea, quæ Rex postea molitus est. Cum enim cogitaret Iudeis patriæ Legis profeßionem extorquere, quam sciebat eos acerrime defendere, prius exarmare eos, & o-

omnibus præsidijs, munitionibus ac uiribus, exuere uoluit.

Hac igitur uastitate per Apollonium effecta Hierosolymis, paulo post misit Rex Atheneum, unū ex Ducibus suis, cum edicto, quo imperabat omnibus gentibus subiectis, eandem religionem cum Græcis, eosdem cultus in toto regno seruare, interdicebatq; Iudeis circumcisionem & alios omnes ritus lege Dei mandatos, Collocauit etiam cum Hierosolymis, tum in alijs ciuitatibus Iudeorum, militum cohortes, qui atrocissimis supplicijs afficerent omnes, qui regio edicto non obtemperarent. Quin & templum eiusdem Regis edicto prophanatū est, collocata Iouis Olympij statua in sacratißima templi sede, multis etiam stupris patratis intra ipsos templi parietes, & mactatis hostijs lege Dei prohibitis. Ad hæc regio interdicto prohibebantur libri sacri omnes, & capite plectebatur is, apud quem erat liber Legis inuentus, fiebatq; singulis Mensibus inquisitio.

His mandatis impijs & immani Tyrannidi Epiphanis, cum ciues Hierosolymitani se opponere uiribus non possent, iam inermes, & ualidißimo præsidio in urbe oppreßi, & destituti duce, cum Menelaus Pontifex summus & antea ritus Ethnicos Hierosolymis

ſolymis inſtituiſſet, & nunc palam Regis impios conatus, & approbaret & adiuuaret, ut dignitatem ſuam & Regis fauorem tueretur, ibi multi conſtanter profeſsi legem diuinitus traditam acerbiſsimis cruciatibus a militibus Antiochi extincti, & eorum bona fiſco regio addicta ſunt, Plurimi ex urbe, omnib. facultatibus relictis, cum coniugibus ac liberis in ſolitudinem & ſpecus ſeſe abdiderunt, quo tempore & Matathias Aſmoneus cum filijs in uicum Modin ſeceſsit.

Narratur in ſecundo Macabeorum, horrendū ſupplicium duarum fœminarum, quæ infantes ſuos contra edictum Antiochi circumcidiſſe, erant præfecto regio proditæ. Is mandauit infantes ſtrangulatos mulieribus nudatis de uberibus ſuſpendi, eaſq; ad terrorem aliarum per omnes urbis uicos circumductas, tandem de muro præcipites deturbari.

Extat ibidem narratio de ſeptem fratribus, qui exquiſitis tormentorum modis excruciati, tamen conſtantiam in profeſsione Legis diuinæ præſtiterunt. Ex quibus horrendis exemplis æſtimari poteſt & immanitas Antiochi, & miſerrimus ſtatus populi Dei, cuius aliquæ tamen reliquiæ ſeruatæ ſunt, excitatis diuinitus Aſmoneis, qui Antiochi furorem re-

 preſſerunt.

presserunt, & legem Dei armis asseruerunt, sicut infra dicetur.

Menelaus autem conciliator, spectator & adiutor horum malorum in suo populo, etiam cum Iudas Macabeus urbem & templum ui cepit, sacerdotij titulum retinuit, in arce latitans, & armis Syriaci præsidij defensus, donec post mortem Antiochi Epiphanis, filius Antiochus Eupator, occupatis Hierosolymis & facta pace cum Iuda Macabeo, suasu Lysiæ, impium Menelaum, ut facem totius belli, & omnium cladium, quas Syriaci exercitus ab Asmoneis acceperant, autorem, captiuum abduxit in Syriam & occidit, cum sacerdotij principatum tenuisset annos 12.

Hic fuit ultimus pontifex ex illa posteritate Aharonis, cui competebat iure diuino sacerdotij summi administratio. Nam Antiochus Eupator in locum Menelai, sacerdotem constituit Alcimum quendam, ortum quidem ex posteritate Aharonis, sed nō ex familia Iesu illius, qui cum zorobabel ex Babylone in Iudeam reuersus fuerat. Hic Alcimus cum quadriennium præfuisset, subito morbo extinctus est, anno altero post interfectum Iudam Macabeum.

Post Alcimum septem annos templum & popu-

lus sa-

lus ſacerdote ſummo caruit, donec aucta iam potentia Ionathæ, fratris Iudæ Macabei, populi conſenſu in Aſmoneorum familiam ſacerdotij ſummi dignitas tranſlata eſt, ubi permanſit uſq; ad initium regni Herodis, annos fermè centum & ſedecim.



ASMONEORVM, id est, POSTERORVM SIMOnis familia & succesſio, ad quos translatus & ſacerdotij & populi Iudaici principatus manſit a tempore Antiochi Epiphanis, uſque ad regnum Herodis.

SIMEON.

|

IOHANNES.

|

MATATHIAS.

Sacerdos de uice Ioarib hieroſolymita, habitans in uico Modin, primus ſe oppoſuit Antiocho Epiphani, ſupplicijs atrocibus adigenti Iudeos ad legis diuinæ uiolationem, & ad uſum Ethnicorum rituum, Anno regni Syriæ 145. hoc eſt, anno poſt mortem Alexandri 159. & ante Chriſtum natum 165. Nam cum uidiſſet Matathias in gratiam Regis, quendam Iudeum immolare ſuper altari Ethnico uictimam lege

lege prohibitam, iusto & pio zelo inflammatus, & hunc suum popularem impia patrantem, & regium præfectum astantem ciuibus inspectantibus in templo trucidauit, & euersa ara ad arma uocauit omnes, qui uerbum diuinitus traditum pluris facerent, quam Regis Ethnici comminationes, eosq; facultatibus omnibus relictis, eduxit in solitudinem, ubi cum indies confluerent plures, mediocri iam exercitu stipatus circumiens, magna uirtute uicina oppidula ab idolatria Antiochi liberauit, & lege Dei præceptos cultus passim restituit. Sed confectus senio uir fortissimus, postquam annum unum, errantem & exulantem turbam duxisset, cohortatus suos filios ad pietatis studium, ad fortitudinem in propugnanda constanter lege diuinitus tradita aduersus Antiochi impia edicta & supplicia, & in primis ad concordiam & reuerentiam mutuam, placida morte decessit anno regni Syriæ 146. post mortem Alexandri 160. ante Christum natum 164.

Matathiæ fuerunt filij quinq;.

IVDAS.	IONATHAS	SIMON.	IOHANNES.	ELEAZARVS.

Eleazarus.

ELEAZARVS, qui & Auran, cum ætate ferox iuuenis multa præclara facinora fecisset, quinto anno post patris mortem cum fratre Iuda obuiam profectus Antiocho Eupatori Epiphánis filio, uidit inter bestias unum Elephantem præ ceteris ornatu et magnitudine insignem. Cumq; existimaret Regem illi elephanto insidere, temerario ausu accurrit, ac multis circa bestiam militibus occisis, uentrem elephanti letali uulnere aperit, quo corruente Eleazarus oppressus extinguitur.

IOHANNES cui Gaddis cognomen fuit, post Iudæ fratris interitum á fratribus Ionatha et Simone cum rebus preciosis, quas bello acquisierant, missus in Arabiam, ut eas in tuto illic apud Nabatheos deponeret, in itinere ab Amorreis ex insidijs oppressus & spoliatus interficitur.

IVDAS Macabeus cognominatus est, quæ dictio Ebraice sic scribitur MACABAI cuius singulæ literæ singulas dictiones significant, sumptas ex cantico Moisi Exodi 15. cap. ubi hæc uerba sunt, MI CAMOCHA BAELIM IEHOVA. hoc est, quis sicut tu in dijs Domine? Hac sententia Iudas pro symbolo usus, initialibus dictionum literis in unam uocem

cem

cem coniunctis, sibi cognomen fecit Macabei. Is à patre moriente præfectus dux miseræ multitudini, quæ parata erat quiduis pati potius, quam confeßionem doctrinæ diuinitus traditæ impie abijcere, mox post patris mortem profligauit exercitum Apollonij, cuius a se occisi gladio posthac semper in prælijs usus est. Fudit & Seronis syriaci præfecti copias parua manu trucidatis cum duce Serone octo millib. hominum. Hæ uictoriæ primo anno principatus partæ, clarum ubiq; fecerunt Macabei nomen, Anno sequenti, hoc est, 147. regni græcorũ, Antiochus in Persidem expeditionem suscipiens, Lysiam summum regni gubernatorem & curatorem filij Antiochi Eupatoris in Syria relinquit, dans mandata de delendis Iudeis rebellibus. Lysias igitur quadraginta milia peditum et septem millia equitum in Palestinam mittit, quibus præficit Ptolemeum, Nicanorem, & Gorgiam duces, qui cum exercitu hostiliter ingreßi Iudeam, ad Emaus uicum castra locant. Iudas in tanto periculo suum exercitum ducit ad Maspha, locum antiquitus ante conditum templum Hierosolymitanũ, ob religionem celebrem, ubi edicit ieiunium, & iubet ardentibus uotis peti defensionem exiguæ manus, (habebat enim secum tantum 3. millia ad militiam idoneorum hominum) aduersus tantas hostium uires.
Deinde

Deindé motis castris hostilem exercitum rectà petit, quem nocte improuiso adoriens in fugam conuertit, cæsis tribus millibus hostium, mox conuersus, alteri parti exercitus, quam Gorgias abduxerat, ut per insidias nocte Iudeos opprimeret, uiriliter obuiam proficiscitur. Sed Gorgias animaduersa clade exercitus è fumo incensorum castrorum, ipse quoq; cũ suis fuga dilabitur. Ita Iudas exiguo robore militum ingentem exercitum hostium profligauit, & amplissima præda potitus est. Hac suorum strage audita Lysias, fremens, maiore conatu bellum aduersus Macabeos parat. Anno enim sequenti, qui est 148. regni Græcorum, cum sexaginta millibus lectißimorum peditum, & quinq; millibus equitum, diffidens suis ducibus, ipse per Idumeam in Iudeam irruit, cui habenti castra ad Bethsuram in finibus Iudeæ, Macabeus cum decem millib. adeo iam creuerat accursu quotidiano multitudo detestantium Idolatriam Ethnicam, occurrit, & inuocato prius publice auxilio Dei, prælium cum hostibus committit.

Vbi cum Lysias uideret Iudeos contemptu mortis quasi furentes hostium globos perrumpere, & suos in fugam iam conuersos esse, amißis quinq; millibus, reliquos palantes ægre reduxit Antiochiam,

nouam

nouam expeditionem maiore apparatu moliturus, quam Epiphanis mors anteuertit & auertit, Qui ab obsidione Persepolis repulsus, cum per Babylonem exercitum affectum reduceret, et in itinere nuncium accepisset de infoelicibus prælijs suorum ducum in Iudea, in uehementes animi primum, deinde etiam corporis dolores incidit, correptus morbo intestinorum sæuißimo. Nihilo tamen mitior factus, maius etiam odium aduersus Iudeos concepit, quorum urbes, & in primis Hierosolyma decreuerat, reuersus in Iudeam solo æquare, deleta uniuersa gente. Sed cum in itinere festinantius contenderet, euerso curru, quo uehebatur æger, ita duriter est allisus solo, ut morbi uis augeretur, & putrescentibus uisceribus etiam caro per totum corpus uermibus scateret cum teterrimo foetore, donec tandem post intolerabiles cruciatus, agnoscens diuinam uindictam, animam efflauit. Hoc modo extinctus est crudelißimus Tyrannus, anno regni Græcorum 148. sui uero regni anno 12. & post uastatum & direptum templum & oppidum Hierosolymorum anno quarto.

Iudas uero Macabeus illa tam insigni uictoria confirmatis uiribus, statim ducit exercitum Hierosolyma, ubi prophanatum templum cultu idolorum

expiat, & legitimas uictimas offert, anno Græcorũ 148. ante Christum natum 162. die 25. Mensis Chisleu, hoc est, Nouembris, quo die ante triennium idem templum & direptum, & idolorum statuis ab Antiocho pollutum fuerat. Aedificauit & Zion, & Betsuram muniuit, ut esset propugnaculum aduersus Idumeos.

Post hæc aßidue in armis fuit, bello petitus á uicinis etiam Idumeis, Ammonitis & alijs, conantibus crescentem potentiam gentis Iudaicæ premere, quos fortiter represserunt fratres Macabei, diuiso exercitu, in diuersis locis eodem tempore fœliciter præliati, & uictoria satis duriter usi. Anno autem Græcorum 150. Iudas arcem Hierosolymis obsidere cepit, cum ex ea præsidiarij milites excurrentes, sacrificaturos in templo occiderent, & ciues affligerent. Sed rogatus Antiochus Eupator á Menelao pontifice auxilium ferre suis in arce obseßis, centum millia peditum, equitum 20. millia in Iudeam cum Lysia ducit, & Betsuram diu obsidet. Interim Iudas audito Regis aduentu, omissa obsidione arcis, cum exercitu obuiam proficiscitur hostibus, de quibus aliquot in uelitationibus occidit, sed cum uideret se longe uinci multitudine hostium, ceßit Hierosolyma, ubi templi munitionibus inclusus, sequente cum exercitu

Antiocho

Antiocho difficilem obsidionem diu sustinuit, donec Rex certior factus de aduentu Philippi, qui ex Perside exercitum Epiphanis reducens, dicebatur occupaturus regnum Asiæ & Syriæ, pacem offert obsessis in templo, & libertatem utendi patrijs legibus. Sed cum Iudas suum præsidium eduxisset ex templo, Rex miratus munitiones, contra pactum muros templi omnes deijci iubet, & secum abducens Meneldum sacerdotem summum captiuum, de quo supra dictum est, in cuius locum substituerat Alcimum, qui & Ioachim, in Syriam cum exercitu reuertitur.

Anno 151. Græcorū, Demetrius ex urbe Roma fugiens ubi obses fuerat, occiso Antiocho Eupatore Epiphanis filio, & curatore ipsius Lysia, regnum Syriæ occupat. Alcimus igitur ut retineret sacerdotij dignitatem ab Eupatore & Lysia traditam, ad Demetrium proficiscitur, & cum gentem suam totam, tum in primis Asmoneos accusat, quasi autores tumultuum, & turbatores communis pacis in Iudea, à quibus esset in exilium pulsus. Mittitur igitur a Rege Bacchides, ut Alcimum armata manu restituat, qui cum exercitu ingressus Hierosolyma, multos innocentes ciues fraude circumuentos occidit, tandem relinquens Alcimo præsidium militare

ualidius, in Syriam regreditur. Cum autem Alcimus potentia sua & fauore Regis abuteretur ad interitum multorum, qui ipsi aduersabantur, Iudas indigne ferens tantam crudelitatem summi sacerdotis, defensionem innocentium suscipit, eosq;, qui partiũ Alcimi erant passim interficit. Quare Alcimus uirtutem & potentiam Iudæ metuens, ad Demetrium iterum confugit Antiochiam, & Iudam atrociter accusat.

Missus igitur cum ualido exercitu Nicanor, primum insidijs sub specie colloquij opprimere Iudam, & captum ad Regem adducere cogitat. Sed patefacta fraude, ad arma conuertitur, ubi prælio uictus à Iudæ militibus, & in arcem Sion compulsus, collectis uiribus iratus Hierosolymis egreditur, comminans sacerdotibus necem, & templi extremam uastatiõem, nisi reuerso sibi uiuum tradant Macabeum. Sed Iudas confirmato exercitu iterum cum Nicanore confligit ad Betsuram in quo prælio & ducem occidit, & totum exercitum, in quo supra 9. millia fuerant, deleuit, 13. die mensis Adar, hoc est, Februarij, quæ dies postea propter hanc tam insignem uictoriam quotannis celebrata est.

Post hos successus suspicans Macabeus Demetrium

trium uindicaturum tantam cladem à Iudeis illatam, ſuam potentiam externis auxilijs munire cogitat. Mißis igitur Legatis Romam, cum populo Romano fœdus & ſocietatem iungit, & nominatim petit, ut ſenatus interdicat Demetrio, ne poſthac premat aut affligat Iudæos. Sed ut ſunt humana præſidia fallacia, magis nocuit Macabeis Romanorum ſocietas quam profuit. Nam & ipſos reddidit ſecuros, & hoſtem magis irritauit. Quare inſequenti anno, qui eſt regni Græcorum 152. Demetrius cum ingenti exercitu miſit Bacchidem et Alcimum in Iudeam. Vbi cum Iudas haberet exercitum tantum duorum milliū, & de ijs multi ab eo recederent, uel tædio aſſiduæ & periculoſæ miliciæ, uel metu potentiæ hoſtilis, uel artificio Alcimi a duce abducti, Cum octingentis uiris ualentißimum exercitum Bacchidis adoritur, ubi fortiter dimicans in acie cum ſuis omnibus occumbit, anno ſexto poſt patris Matathiæ mortem, anno ante Chriſtum natum 158.

Anno ſequenti, qui fuit regni Græcorum 153. Alcimus mandauit dirui muros interioris domus templi, antiqua monumenta ſacerdotum, ne qua amplius intra urbem munitio eſſet, in quam ſe recipere aduerſantes regibus Syriacis poſſent, Et uix dum in-

rhoata demolitione, paralysi correptus, cum aliquam diu mutus iacuisset, extinguitur, Anno sacerdotij quarto.

IONATHAS II.

Matathiæ filius.

Ionathas succeßit fratri Iudæ in principatu Iudeorum tali occasione. Cum post interfectum Macabeum iudei amplexi Ethnicos cultus, animosiores facti, paßim conquirerent pios homines, qui Iudam & fratres fuerant secuti, et ad Bacchidem crudelissime excruciandos mitterent, insuper etiam fames ingrueret propter neglectam aßiduitate bellorum culturam agrorum, ita ut duriter premerentur pie sentientes homines, concursu ad Ionatham facto petiuerunt, ut defensionem miserrimæ turbæ susciperet, & fratris uirtutem & pietatem imitaretur. His obsecutus Ionathas mox cum Bacchide fortiter præliatus ægre euasit, & in loca deserta suos milites abduxit. Bacchides autem cum eum sequi nollet, munitus aliquot oppidis, in quibus posita præsidia pios Iudeos assiduis excursionibus carperent, in Syriam exercitum reduxit post Alcimi mortem. Atq; ita biennio aliquam leuationem à bellis Iudei habuerunt. scilicet anno 154. & anno 155. regni Græcorum.

Anno

Anno 156. rursus á Iudeis transfugis incitatur Bacchides, ut insidijs primum peteret duos fratres Iudæ, quibus retectis, aperta ui eos aggressus in oppido Betbessen obsedit. Sed cum oppidum munitißimum esse animaduerteret, et Iudeos ad defensionem animis & rerum omnium copia paratißimos, facta paec cum Ionatha, & redditis utrinq; captiuis, redijt in Syriam, atq; ita aliquandiu tranquillitas fuit á bellis in Iudea.

Anno 160. Alexander Epiphanes, qui regnum Syriæ inuaserat, quod tum tenebat Demetrius frater Antiochi Epiphanis, comperta potentia Ionathæ, ut cum sibi adiungat, mißis Legatis cum amplißimis muneribus, Summum sacerdotium Ionathæ defert, si uelit auxilia mittere contra Demetrium, eundem etiam ad nuptias inuitat, quas cum Cleopatra Ptolemei Philometoris filia in urbe Ptolemaide celebraturus erat. His conditionibus illectus Ionathas, cum speraret se hoc modo duos uicinos reges amicos habiturum, Syriacum & Aegyptium, cum magnificis donis ad nuptias regias proficiscitur, ubi honorificentißime á duobus Regibus exceptus, remittitur domum confirmato & sacerdotio, & principatu Iudeæ. Cum post Alcimi mortem fere

per ſeptennium populus caruiſſet principe ſacerdotum.

Ita tunc primum ſummi ſacerdotij dignitas ad Aſmoneos peruenit, anno principatus Ionathæ nono, anno Græcorum 160. ut dictum eſt, ante Christum natum centeſimo quinquageſimo. Sed cum poſt quinquennium Ptolemeus Alexandro genero ereptum & regnum Syriæ & Cleopatram filiam traderet Demetrio Nicanori, Demetrij filio, Valde fuit difficile Ionathæ, etiam hunc R[illegible]m nouum ſibi conciliare, quem tamen ita tandem & muneribus & alijs officijs demeruit, ut per eum bonam partem Iudeæ recuperaret, & apud ſuos magnam potentiam & autoritatem conſequeretur. Poſtremis annis principatus ſui, muniuit templum Hieroſolymitanum, & renouauit fœdus cum Romanis, & amicitiam iunxit cum Spartanis. Paulo poſt inſidijs Tryphonis circumuentus Ptolemaide capitur, & cum promiſiſſet Tryphon ſe dimiſſurum Ionathan, ſi ad ipſum mitterentur duo filij eius, obſides, & centum talenta, hoc eſt, 60. millia coronatorum, Simon frater & pecuniam & filios fratris ad Tryphonem miſit, quos tamen paulo poſt una cum patre Ionatha crudeliſsimus Tyrannus nefarie trucidauit, & iam neminem amplius obſtare ſuo ſceleri

ratus

ratus dolo interfecit Antiochum, quem Sedeten nominant Alexandri Epiphanis filium adolescentem, cuius tutorem se professus fuerat, & ut eum in patrium regnum restitueret, Demetrium Nicanorem Syria eiecerat, atq; ita regnum Syriæ inuasit.

Ita Ionathas principatum Iudaici populi 18. annos tenuit, summum sacerdotium autem primus ex Asmoneis adeptus, decem annos administrauit.

SIMON III. MATATHIAE filius.

Fratri Ionathæ succedit Simon, Anno græcorum 170. anno ante Christum natum 140. magno populi consensu adeptus & sacerdotij & populi principatum, ut qui fratres, Iudam & Ionathan in asserenda doctrina diuinitus tradita, et reprimendis persecutorib. fortiter adiuuerat. Mox sub initiũ gubernationis aliquot munitiões Græcorum occupat, inter quas et arcem Hierosolymitanã, quam hactenus præsidium Syriacum tenuerat, & ciues ualde afflixerat, fame expugnatam recepit, & expiauit, 23. die secundi mensis, anno 171. Sub eo cepit aliquantulum respirare Iudea, iam 25. annis á tempore Antiochi

Epiphanis huc usq; continuis ferme bellis duriter quassata & uastata, ceperunt coli agri, instaurari diruta & incensa, repurgari loca Idolis prophanata, & uox doctrinæ cœlestis publice in templo & Synagogis iterum sonat. Anno tertio sui sacerdotij Simon fœdus cum Romanis renouauit, quorum senatus consulto confirmatum est eius sacerdotium, & principatus populi.

Postea Antiochus Soter Demetrij Nicanoris frater, apparans bellum contra Tryphonem tenentem regnum Syriæ, adiungit sibi amplis promißis Simonem, ne per eum suus conatus impediatur. Sed potitus regno Syriæ, pulso Tryphone, Anno 174. rupto fœdere, quædam oppida in Iudea, & arcem Hierosolymitanam, cum ingenti pecunia a Simone restitui regno Syriæ postulat, minitans bellum, nisi imperata fiant.

Cum autem Simon non obtemperasset postulationi iniquissimæ, mittitur in Iudeam cum exercitu Cendebeus, quem late uastantem agros, mißi duo filij Simonis Iohannes Hyrcanus, & Iudas profligarunt, & deiectis munitionibus, quas extruxerant hostes in finibus Iudeæ, magna cum gloria domum reuersi sunt.

Post

Post triennium, hoc est, anno 177. Græcorum, ante Christum natum 133. cum Simon iam grandis natu in Iudea circumiret inspiciens & constituens Ecclesias, & politias dißipatas, ac cum coniuge & duobus filijs, Iuda & Matathia uenisset Hiericuntem ad suum generum Ptolemeum Abobæ filium, quem fecerat præfectum totius regionis circa Hiericuntem, in conuiuio à genero confossus extinguitur, cum annos fermé octo post Ionathæ mortem sacerdotium summum tenuisset. Ita Asmonei quatuor, pater Matathias, & tres filij deinceps annos 33. pro lege diuinitus tradita, aduersus persecutores populi Dei fortiter præliati, etsi Ethnicos cultus ex Iudea prorsus tollere non potuerunt, eo quod multi in populo palam Epicurei erant, multi fracti calamitatibus huius populi & conspectu prosperitatis Ethnicorum illecti, doctrinam a patribus acceptam sponte abiecerant, & Ethnicam impietatem amplexi fuerant, tamen hoc sua uirtute effecerunt, ne scripta Prophetica interirent, ne cultus diuinitus instituti prorsus abolerentur, & politia illa omnino dißiparetur. Idq; singulari Dei bonitate ideo factum est, ut tamen politia, & ministerium à Deo institutum, & hactenus defensum, utcunq; maneret, usq; ad Christum, ut sciri posset, quando & ubi Meßias exhibendus esset.

Hæsit

SIMON MATATH:

Hæsit autem principatus & summum sacer=dotium aliquandiu in familia Asmoneorum, & qui=dem apud posteros Simonis, cum Iudas & Ionathas nullam reliquissent sobolem.

Fuerunt autem Simoni liberi.

IOHAN= NES HYR= CANVS. successor.	IVDAS.	MATA= THIAS.	FILIA nupta Ptolemeo Abobi filio præfe=cto Hiericuntis, à quo socer cum con=iuge & duobus fi=lijs est interfectus.

IVDAS & MATATHIAS.

Comitati patrem Simonem, cum coniuge eun=tem ad Ptolemeum generum, cui filiam despondens Simon Hiericuntis præfecturam ante tradiderat, ab eodem suo affine Ptolemeo, qui patrem in conuiuio trucidauerat, cum matre in uincula coniecti sunt, Et cum Hyrcanus uindicaturus tantum nefas, obsi=dione cinxisset oppidulũ, in quod Ptolemeus pulsus

confu=

confugerat, crudelib modis excruciati sunt, tandiu, donec Hyrcanus pietate motus, quamuis postulante matre captiua, ut tentaret oppugnationem, tamen non ferens conspectum cruciatuum matris & fratrum, obsidionem soluit. Postea metu belli liberatus Ptolemeus, & socrum suam, & hos duos fratres Hyrcani occidit.

IOHANNES HYRCANVS.

Viuo patre Simone profligauit copias Antiochi Soteris, quas ducebat Cendebeus. Postea cum pater occisus & duo fratres capti fuissent à Ptolemeo sororis marito, ægre elapsus eiusdem insidias, bello adoritur Ptolemeum, ut patris necem uindicet, & oppidum in quo erat Ptolemeus obsidione cingit. Sed & pietate motus, cum acerbißimis modis excruciarentur mater & fratres, quoties oppugnaret urbem, & propter instantem septimum annum Sabbatarium, exercitum abduxit. Postea bello petitus ab Antiocho Sotere, & in urbem Hierosolymam inclusus, quam septen obsederat hostis, urgente fame, fecit deditionem urbis his conditionibus, ut munitiones oppidi demoliretur, obsides daret, & quinquaginta talenta, hoc est, tres tonnas auri.

Cum

Cum autem pecunia etiam deeſſet, Hyrcanus ſiue caſu quærens urgente neceßitate, ſiue admonitus ſomnio aliquo, aperto ſepulchro Dauidis reperit tria millia talentorum, hoc eſt, 18. tonnas auri. Nec pacem ſolum fecit cum Antiocho, uerum etiam amicitiam iunxit, ita ut eum in urbem reciperet cum exercitu, & iam auctus pecunia, primus Iudeorum peregrinum militem conſcribens, cum Antiocho Parthis bellum inferente profectus ſit, ſed non magno cum Regis commodo. Nam cum Antiochus Parthici exercitus partem adiutus uirtute Hyrcani fudiſſet, & Arſaces Rex Parthorum cum nouo exercitu ſtatim ſubſecutus eſſet, quibus diebus aduentanti Regi occurrendum erat, relligio Hyrcanum & Iudeos iter facere & pugnare uetuit, quod eſſet Pentecoſtes feſtum, Ibi Antiochus auxilio Iudeorum deſtitutus, cum bona parte copiarum occiditur.

Poſt mortem Antiochi Soteris Hyrcanus contemnere Syriæ Reges cepit, ut qui bellis inteſtinis uires ipſi ſui regni fregerant. Quare ex Aſia copias ſuas reducens, multa oppida regno Syriæ ademit, que ad Iudeam olim pertinuerant, & templum Garizin Samariæ á Chuttheo Sannabalath ædificatum, ut ſupra eſt annotatum, deſtruxit, annis ducentis

poſt

post quam ædificatum est, in gratiam Manassæ fratris Iaddi, tempore Alexandri Magni. Idumeos quoq; domitos coegit circumcisionem, & alios ritus Iudaicos amplecti, ex qua gente postea Herodes ortus uoluit pro Iudeo haberi.

Et ut esset munitus firmiore præsidio aduersus Syriacos Reges, quos uerisimile erat, hanc urbium ereptionem nō æquo animo laturos, fœdus cum Romanis per legatos renouat, anno principatus sui 14. anno regni Syriæ 191. Consulibus Cneo Domitio Aenobarbo & C. Fannio, ante Christum natum anno centesimo decimo nono.

Deinde cum Demetrius Nicanor ab Arsace in regnum esset restitutus, & in ipso belli apparatu contra Iudeos, esset ab Alexandro Zebenna iterum regno pulsus, Hyrcanus cum Alexandro uictore fœdus fecit, quo non diu lætatus fuisset, nisi id factum singularis casus correxisset. Nam Antiochus Gryphus Demetrij filius, ut patrium regnum recuperaret, bello moto Alexandrum occidit, & post illam uictoriam, etiam Hyrcanum socium hostis sui inuadere decreuerat, sed nuncio accepto de apparatu bellico germani fratris Antiochi Cyziceni, in Syria est retentus, ubi cum duo Antiochi fratres diuturno bello inter se de regno Syriæ confligerent,

Hyrcanus

Hyrcanus & Iudea pacem aliquandiu habuerunt. Hoc pacis tempore uires suas ualde auxit Hyrcanus, ædificando, expugnando commodas munitiones, colligendo pecuniam, & alios neruos rerum gerendarum parando.

Tandem munitißimam urbem Samariam obsidione cingit, cui duos filios Antigonum & Aristobulum præficit, ipse domesticæ gubernationi intentus. Vbi cum á Samaritis esset accersitus Antiochus Cyzicenus, á duobus filijs Hyrcani repulsus, & ad Scythopolin usq; fugatus est. Cum igitur duo fratres exercitum rursus ad Samariam adduxissent, denuo rogatus Antiochus Cyzicenus, Iudeam populabundus ingressus est, sed iterum repulsus duobus suis ducibus exercitum committit, quorum unus occisus est à Iudeis, alter proditione Scythopolin & uicinas urbes Hyrcano tradidit, pecunijs corruptus. Ita anni integri obsidione, afflicta urbs Samaria, tandem expugnatur, & solo æquatur.

Hunc finem habuit potentißima ciuitas, longo tempore æmula Hierosolymitanæ ciuitatis, quam Herodes post annos ferme centum restitutam Sebasten ab Augusto Cæsare appellauit.

Postea cum tranquillitas esset per Hyrcanum in tota Iudea parta, cepit eius fœlicitas ipsi conflare inuidiam, cum apud alios suos, tum præcipue apud Phariseos, quæ tum factio, simulatione sanctitatis, et cumulatione traditionum de exercitijs quibusdam corporis, in magna apud uulgus existimatione erat, ita ut, cum liberet, concitare populum aduersus Principes & summos sacerdotes posset.

Eiusdem sectæ studiosus antehac fuerat Hyrcanus quoq;, ideoq; à Phariseis ualde dilectus. Sed ad extremum ab eis alienauit animum, quia sensit se in odium uenisse propter Eleasari Pharisei pœnam, a quo contumelia adfectus erat. Ita ad Sadduceos transijt Hyrcanus, qui reprehensores traditionum Pharisaicarum acerrimi erant, & odio Pharisaicæ factionis multas eius sectæ traditiones edictis publicis aboleuit, quæ res ipsi & filijs maximum odium apud Phariseos & plebem peperit. Vnde postea magni motus in populo extiterunt, quos ægre nec sine multo sanguine compescuit Alexander filius.

Cum autem in hac narratione mentio facta sit duarum sectarum, Pharisaicæ, & Sadduceæ, quarũ in sequentibus historijs, ac deinde in Euangelica fit aliquoties

aliquoties mentio, adijciam ea, quæ de earum discrimine grauißimis testimonijs tradita sunt. Nam de origine coniecturas tantum sequimur, nisi quod hoc constat, utranq; sectam recens natam esse, ac discesßisse a ueteri & pura Prophetarum doctrina. Semper autem in Ecclesia hæc immota norma tenenda est, Vnicam esse ueram doctrinam de Dei essentia & uoluntate, quæ a Deo certis & nequaquam fallentibus testimonijs patefacta est, & commendata primis patribus ac Prophetis, & postea illustrata est uoce filij, Domini nostri Iesu Christi, crucifixi pro nobis & resuscitati, & uoce Apostolorum, Ac nequaquam recipiendas esse ullas opiniones pugnantes cum illa prima Prophetica doctrina, & uoce filij Dei. Hanc normam ueram esse multa dicta Prophetica testantur, ut Esaias damnat doctores, qui opiniones ex seipsis genitas tanquam diuinam doctrinam proponunt, cum nequaquam sint a Deo traditæ.

Hac præmuniti regula possumus de his sectis iudicare. Non omittenda est autem in hac commemoratione hæc tristißima querela. Deploranda est ingens infirmitas generis humani, quod etiam tunc cum exigua multitudo esset Ecclesia Dei, uidelicet, paucæ ac mutilæ tribus Israel, inclusæ in illam angu-

stam oram

ſtam oram uicinam Phœnicibus, Cumq́; in tam par-
ua politia mediocriter diſciplina regi & concordia
doctrinæ retineri poſſet, tamen horrendi furores
extiterunt, & palam recepti ſunt, & comprobati
a magna parte gubernatorum, pugnantes cum Lege.
Sacrificabant Sadducei, qui palam adfirmabant poſt
hanc mortalem uitam, non reſtare aliam uitam, aut
iudicium, nec uiuere animas diſcedentes a corpori-
bus, nec reuicturos eſſe homines. Hoc perinde
erat, ac ſi porcus ſacrificaſſet. Phariſci aliquanto
modeſtiores erant, Sed tamen & ipſi corruperant
doctrinam a Deo traditam, ut deinde narrabo.

Interim tamen aliqua erat uera Dei Eccleſia,
quæ retinebat doctrinæ lucem. Sed tamen ualde do-
lendum eſt in eo cœtu, qui uocatur Eccleſia Dei, &
in quo eſt aliquod agmen, Deum uere inuocans, non
ſolum ſpargi tantos errores, ſed etiam autoritate
Principum & Doctorum recipi & comprobari.
Deinde reprehendenda eſt prophana ſecuritas, &
arrogantia multorum noſtræ ætatis hominum, qui
ſomniant nihil errorum in Eccleſia ſparſiſſe uel illos
qui ambitione incitati prætextu religionis regna
quæſiuerunt, uel alios, qui ſuperſtitiones propter
auariciam cumularunt, nec illud uetus ac horrendũ

E exemplum

exemplum Phariseorum ac Sadduceorum considerant, quod profecto significat similia mala etiam alijs temporibus in Ecclesia grassari posse.

Necesse est igitur normam certam, scilicet Euangelij uocem tenere, ut Paulus inquit, Siquis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Considerandum est igitur & hac nostra ætate, quæ doctrina prima sit, congruens cum uoce Prophetarum, filij Dei, & Apostolorum, & quæ persuasiones deinde in Ecclesiam irrepserint, quarum aliæ superstitione indoctorum confirmatæ sunt, aliæ libenter receptæ sunt, quia seruiebant ambitioni potentum, aut culinæ. Agnoscamus igitur et deploremus Ecclesiæ mala, & quæramus fontes ueræ doctrinæ, ut Deum uere inuocemus, & semper sit aliqua pars generis humani, in qua luceat uera Dei noticia, quæ sit templum Dei, & futura sit socia æternæ consuetudinis cum Deo, ne frustra conditum sit genus humanum.

Priusquam autem de Sectarum origine & distractionibus Ecclesiæ dicam, præfari necesse est de prima & uera Ecclesia, & Schola, quæ inde usq; ab initio generis humani custos fuit ueræ doctrinæ, unde egreßi multi uelut seditiosi, ueteris doctrinæ corruptelas sparserunt.

Nec casu natum est genus humanum, Nec frustra conditum, sed uoluit Deus esse naturam intelligentem corpore uestitam, in qua luceat ipsius noticia, & cui sapientiam ac bonitatem suam impertiret, & quæ ipsius æterna consuetudine frueretur. Etsi autem sapientiam et bonitatem suam declarauit Deus in condendo hoc toto opificio mundi, tamen illustrior est significatio bonitatis, quod post Adæ & Heuæ lapsum rursus ex arcana sua sede prodiens, sese patefecit, & immensa misericordia lapsos recepit, ac promißionem eis tradidit de uenturo semine. quod ut agnosceretur & expectaretur, hanc dulcem uocem sonare palam in genere uoluit, Semen mulieris conculcabit caput Serpentis. Hanc consolationem, qui gratis pectoribus audiebant, recipiebantur a Deo, & membra fiebant æternæ Ecclesiæ Dei.

Ita primum & Ecclesia condita est, & constituta Academia, in qua primi parentes suis filijs & posteris tradebant doctrinam de Deo, de creatione rerum, de suo lapsu, & pœnis eius lapsus, de insidijs diaboli, de causis mortis & omnium miseriarum humanarum, de promißione uenturi seminis, quo placanda erat uera & ingens ira Dei, de delendo peccato, de restitutione æternæ uitæ, de discrimine

actionum bonarum & malarum. Hoc discrimen insitum mentibus humanis uere esse legem Dei, congruentem cum mente & uoluntate diuina, idq; eo lucere in hominum mentibus, ut testimonium sit de Deo, monstret esse Deum, & qualis sit, & moneat iudicaturum esse hominum facta, quia in nobis conscientia triste iudiciũ exercet. De discrimine huius naturalis noticiæ, & promißionis prolatæ ex arcano sinu æterni Patris de semine. De futuro iudicio uniuersi generis humani, Eos qui fiducia uenturi Seminis se a Deo recipi crederent, et ad eum hac fiducia confugerent, moresq; regere ad normam legis diuinæ studerent, uicturos esse in æterna & dulcißima consuetudine cum Deo. Alios uero, qui Deum aut promißionem uenturi seminis superbe cõtemnerent, & furenter laxarent frenos malis cupiditatibus, Similes esse diabolorum, hostes Dei, & post mortem uicturos esse in horrendis cruciatibus, quorum similitudinem aliquam cernerent in hac uita, in pauoribus eorum, quorum corpora atrocibus supplicijs adficiuntur.

Narrabant se uestitos esse Dei manibus, detracta de tergo ouis pelle, ut significaretur cum exuissent hæc impura corpora post mortem, sumpturos

esse alia corpora, tanquam uestem ab Agno, id est, a semine illo, quod uictimam fore pro genere humano intelligebant.

Docebant & uoluntatem Dei esse, ut hoc modo queratur, agnoscatur, inuocetur, sicut se ipse patefacit, et ut mentes nostræ acquiescant in eius promißione, sciant nos uere recipi, cum fide acquiescimus in promißione, nec amplectenda esse ulla numina, aut sacrificia eorum, qui hanc doctrinam a Deo traditam obliuiscerentur, aut abijcerent.

Narrabant Deum uelle sibi certum & unicum coetum consentientem de doctrina, inuocatione, & sacrificijs colligere, in quo solo futuri essent heredes æternæ cum ipso consuetudinis. Et sua sacrificia interpretabantur, sepe hanc concionem repetentes, Vt propagari ad posteros doctrina poßit, ritus instituti sunt & publici congressus, In his sonare uocem promißionis diuinæ & reliquam doctrinam, quam recitamus, oportebit. Vult enim Deus exaudiri suam uocem in toto genere humano, Ideo publici & honesti congressus erunt, & semper Ecclesia etiamsi magnis ærumnis exercebitur, tamen uelut arx in monte celso posita conspicietur. Et hæc nostra sacrificia, primum uincula sunt talium con-

gressuum, deinde & picturæ, quæ nos de promissione commonefaciunt. Cum uidetis agnum cremari & quidem igne diuinitus accenso, ne existimate hanc pecudem nobis placare iram Dei, sed erit alius agnus, scilicet uenturum Semen, cuius mortem hæ pecudes significant. Placet autem inuocatio nostra cum Semen illud agnoscimus, & mores ita regimus, ne polluere conscientiam uelimus.

Scitote autem magnas futuras esse dissipationes generis humani, & multos oblitos doctrinæ cœlestis, quia tamen manet aliqua de Deo in humanis mentibus opinio, sua temeritate excogitaturos esse numina, sacrificia, & turpes uitæ leges. Nam Diabolus odio Dei impellet multos homines, ut eum contumelia adficiant. Horum sacrificia, cœtus, & turpitudinem fugite.

De his tantis rebus cum erudiissent posteros, hoc etiam addebant de uenturo semine. Dominum illum, qui caput Serpentis conculcaturus esset, iam adesse suæ Ecclesiæ, sed nondum humana natura indutum, imaginem uero esse æterni ac unici Patris genitam ab eo, & esse supplicem Patri pro Ecclesia, & eam protegere, & Spiritu sancto Patrem &

hunc

hunc dominum in ueris pauoribus corda credentium promißioni, consolari, & in eis accendere lucem & iusticiam, & inchoare uitam æternam. Effundi autem hunc spiritum ex pectore æterni Patris, & promißi domini. Atq; ita agnoscendum esse uerum Deum sapientem, bonum, iustum, ueracem, castum, conditorem cœli & terræ, & Angelorum & generis humani, ut scirent unicum esse æternum Patrem, qui cum illo domino nobis promisso, imagine sua, & Spiritu sancto omnia condidisset. Nec aliud numen cogitandum esse ullum.

Deinde primi Parentes in hac sua Academia etiam doctrinam de natura rerũ tradiderunt, ostenderunt certas esse motuum cœlestium leges, ut testentur hunc mundum non casu natum esse, sed à mente architectatrice conditum esse, docuerunt & anni curriculum ordinatum esse, quia Deus uelit homines nosse temporum seriem, ut sciamus quo ordine patefactiones diuinæ fierent, & quæ sit prima doctrina, quæ recentior. Et ut agnoscerent homines, omnia consulto condita esse, uarios usus in plantis monstrarunt, ad quos tanquam ad certos fines, propter hominum utilitatem nascuntur. Hic ostenderunt quo modo Deus opem ferat naturæ hominũ

 his re-

his remedijs, & ſimul docuerunt ſepe a Deo iuuari innocentes mirabili modo, etiam ſine adminiculo creaturarum. Hanc fuiſſe primæ Eccleſiæ et primæ Academiæ doctrinam, perſpicue teſtatur Moiſi narratio in libro primo. Nec dubium eſt fuiſſe illius aureæ ætatis ante diluuiũ multo maiorem ſapientiam, quam fuit deinceps magis langueſacta natura poſt diluuium.

Quanquam autem multi ante diluuium & poſtea ueram doctrinam uel aſpernati ſunt, uel obliti, tamen Deus non paſſus eſt extingui ueram inuocationem in genere humano, Sed ſemper aliquem cœtum ſeruauit, qui cuſtos eſſet ſuæ doctrinæ. Et ſubinde nouis teſtimonijs eandem doctrinam renouauit, & latius eam ſparſit. Cum poſt diluuium rurſus creuit multitudo, etſi in Babylone extincta eſt lux ueræ doctrinæ, & manſerunt tantum ſtudia doctrinæ de ſiderum motibus & effectibus, & de rebus in terra naſcentibus, tamen in poſteritate Nohæ conſeruata, renouata & illuſtrata eſt Dei promiſsio. Ita poſtea in populo Iſrael conſtituta iam pulcherrima politia, totum collegium Leuitarum Academia erat. Ibi ueterem & incorruptam doctrinam & Sacerdotes aliqui, & Prophetæ ſonabant. Sed decem tribubus auulſis a Regibus Iuda, magnæ confuſiones

ſiones doctrinæ & religionum ſecutæ ſunt. Sed tamen in hac ipſa parte, quæ diſceſſerat a Regno Iuda, Deus excitauit Eliam, Eliſeum, & alios Prophetas, ut inde etiam aliquos reuocaret ad ueram agnitionem. Inde uſitatum fuit Prophetis habere agmina auditorum, Ideo Elias, Eliſeus, & alij reliquerunt per manus traditas interpretationes, ſeu conciones. Aliqui etiam literis mandarunt interpretationes, ut Eſaias & alij poſt eum. Hæc conſuetudo ſemper in hoc populo manſit, ut uel in templo Sacerdotes traderent interpretationes, uel alibi eſſent doctores ac interpretes monumentorum Moiſi & Prophetarum.

Sed poſtremis temporibus poſt reditum ex Babylone, & poſt Zachariam Prophetam, cum iam ſummi Sacerdotes Regum Syriacorum familiaritates adpeterent, & ſibi potentiam quærerent, neglecta ſunt uetera doctrinæ ſtudia, & poſtea uaſtata Iudea ab Antiocho, multis libris amiſsis, & diſsipatis docentium & diſcentium agminibus, & laxata diſciplina, magnam ſtudiorum mutationem ſecutam eſſe conſentaneum eſt. Etſi enim ſemper aliqui ex collegio Sacerdotum, & ex populo retinuerunt aliquam doctrinæ ſcintillam, ut Simeon, Zacharias, Anna, quorũ adoleſcentia uicina fuit Antiochi bel-

les, tamen multi audaces Propheticorum monumentorum Interpretes procul a ueteri doctrina discesserunt.

Ac initio consentaneum est titulum Interpretum communem fuisse aliquibus sanioribus, & alijs qui transformarunt Ecclesiæ doctrinam in Philosophicam. Postea cum hæc noua Philosophia gratior esset, & multi adplauderent, ceperunt hæ scholæ frequentiores esse, & genus doctrinæ constitutum est, & professio ac secta fuit in admiratione, retento nomine honesto Pharisei, id est, Expositores, ut nunc honestißimi muneris, & professionis titulus est, nuncupari Doctores. Nam multi eruditi existimant potius dictos esse Phariseos ab interpretatione, seu expositione, quam a segregatione.

Dogmata autem eorum, utcunq; recenset Iosephus, sed ex historia Euangelica magis intelligi potest, qui fuerint præcipui errores. Etsi enim cum Interpretes essent monumentorum Propheticorum, constanter uolebant retineri nō solum Moisi libros, Sed etiam ceterorum Prophetarum uolumina a maioribus publica autoritate sacris historijs addita, tamen de Legis usu falsas persuasiones habuerunt, & promißiones de regno Mesiæ transtulerunt ad politicum

liticum Regnum. Disciplinam externam putabant esse iusticiam, quæ Legi satisfaceret, & negabant peccata esse prauos adfectus, dubitationes de Deo, incendia animorum in odijs iniustis, aut libidinibus, si non accessissent externa delicta. Has corruptelas diserte reprehendit concio apud Mattheum cap. 5. Qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde. Hæc etsi multi indocti in Ecclesia legunt tanquam stoica paradoxa, quæ Ideas uirtutum pingunt, ut ad eas dirigatur conatus, etiamsi adsequi eas nemo potest, tamen alio consilio proponũtur in Ecclesia. Scit filius Dei neminem sine prauis cupiditatibus in hac naturæ imbecillitate esse, sed concionem de pœnitentia semper in genere humano uult sonare, Agnoscamus aliqua ex parte nostra mala, & fateamur nos reos esse, & confugiamus ad filium Dei. Hanc ueterem doctrinam, Propheticam obscurauerat Phariseorum Philosophia, sicut sepe accidit omnibus temporibus, inde usq; á Cain & eius posteris.

Ita & altera pars doctrinæ cœlestis, uidelicet, promissio Meßiæ obscurata est. Norant Pharisei et celebrabant amplissimas promissiones traditas Abrahæ, recitatas per Iacob, & sepe repetitas per Prophetas.

phetas. Sed has omnes tantum de politico Regno loqui contendebant, somniabant uenturum esse Meßiam, qui uelut alter Cyrus aut Alexander domitis gentibus imperium mundi occupaturus esset, sed futurum imperium iustius, mitius, tranquillius, diuturnius, quam ullum antea fuisset. Ipsum Meßiam mille annos dominaturum esse, ciuem Israelitam, uicturum esse annos trecentos, aut quadringentos sine metu bellorum, seruitutis, famis, aut aliarum magnarum calamitatum. Nec in Meßia aliam fore naturam, nisi humanam. His deliramentis iacebat oppressa tota doctrina, de filio Dei, de ira aduersus peccata, de sacrificio & morte Meßiæ, Nec tamen penitus extincta fuit in Ecclesia ueritas, sed ut dixi, apud Simeonem, Zachariam, & multos similes scintilla mansit, qui legebant Prophetas sine corruptelis.

Cumq; Pharisei legis & promißionum uocem ita contaminassent, postea ceremonijs, & mactationibus pecudum in lege propositis somniabant tolli peccata. Hæc opinio questuosa erat, Nam hac persuasione motus populus sacrificia cumulabat. Hæ densæ tenebræ habebant opinionem sapientiæ, & pietatis, quas tamen toties Prophetæ taxant.

Postea

Postea ut fit auctis ceremonijs, multæ questiones de ritibus & de circumstantijs exortæ sunt. Hic multis declarationibus opus fuit, ut apud monachos magna moles fuit summarum, quæ traditiones humanas, & earum circumstantias colligebant, Ita Pharisei & astrinxerunt, & laxarunt ceremonias Mosaicas, & nouas addiderunt, partim ad superstitionem confirmandam, partim ad questum utiles. In capite Matthei 15. taxatur traditio questuosa, rectius esse donare aliquid templo, quam alere egentes parentes, ut nunc dicunt rectius esse, ociosos monachos frui ingentibus reditibus, quam decerpi inde aliquid ad alendos pauperes scholasticos. Vsitatißima fuit & de Sabbato traditio, quam citat Hieronymus, Rabi Akiba & Hillel dixerunt iter Sabbati esse, duo millia passuum.

Erant autem doctrinæ studia in hac secta, & diligentia regendæ disciplinæ, Retinebant hanc sententiam, unum esse Deum, æternum, & intelligentem, ueracem, bonum, iustum, castum, beneficum, uindicem scelerum, a quo condita esse omnia fatebantur, cœlum, terram, Angelos, homines, & reliquas creaturas. Sed Philosophice adseuerabant unicam esse personam, & audacter abijciebant doctri-

nam

nam primam & Propheticam de filio Dei, & de Spiritu sancto, cum tamen legerent testimonia manifesta de filio Dei apud Dauidem, Esaiam, Micheam, & Danielem, & de Spiritu sancto in multis concionibus Prophetarum.

Ceterum fatebantur Deum conditorem rerum sese patefecisse, datis promißionibus, et promulgata lege omnium, quæ apud omnes gentes extant honestißima, constituta & defensa pulcherrima politia multis testimonijs præsentiæ Dei. Quare de prouidentia diuina dubitari non uolebant, & hanc ipsam posteritatem Abrahæ, cui hanc politiam, & hos nidulos Deus attribuerat, sentiebant esse populum Dei, seu Ecclesiam Dei, quæ Deo peculariter curæ esset. Regi igitur a Deo præcipuas in uita mutationes docebant, ut imperiorum incrementa, & inclinationes, urbium magnarum excidia & instaurationes, quia sciebant euentus congruere cum prædictione de imperijs, quæ extat in Moise, & Esaia, & in Daniele, & suam urbem Ierosolymam norant diuinitus instauratam esse. Sed tamen singulorum negocia & uitam adfirmabant regi consilijs humanis, & libertatem humanæ uoluntatis, seu facultatem liberi arbitrij adeo amplificabant, ut adfirmarent

rent homines legi Dei satisfacere posse, & hac diligentia iustos esse, & mereri præsentia & cœlestia bona. Econtra uiolantes legem atrocibus delictis externis puniri in hac uita & futura. Sentiebant enim animas a corporibus discedentes superstites esse, & futuram esse mortuorum resurrectionem, in qua Deus premia iustis daturus sit, & iniustos, qui se atrocibus sceleribus polluerunt, in æterna supplicia abiecturus. Multa tamen delicta atrocia & præsentibus calamitatibus puniri, Sed sacrificijs tolli aliqua posse, & mitigari pœnas.

Hæc tota doctrina, & si in speciem plausibilis est, tamen uerum legis usum & beneficia Meßiæ ac doctrinam de gratuita remißione delet. Quare aut confirmat fiduciam propriæ iusticiæ, aut relinquit homines in tristi dubitatione, qua mentes oppressæ fugiunt Deum, & fremunt aduersus eum, non accedunt ad eum, nec uere inuocant eum.

Vt autem disciplinam seuerius munirent, multa exercitia instituerunt, quorum aliqua magis ad ostentationem grauitatis accommodata erant, quam ad frenandas cupiditates. Forma uestitus erat insignis, longa pallia, & in fimbrijs intexta uerba legis,

Crebræ erant lauationes, Aqua lustrali in uestibulis ædium posita, Erat & delectus ciborum in ieiunijs, Longæ recitationes precum, quæ in Mattheo βαττολογίαι nominantur. Inuitabant & sacrificia, & species pietatis, familiaritatem mulierum, quare crebra erant horum adulteria & diuortia, quæ ut liberius facerent, laxarunt legem de diuortijs. Nam uetus consuetudo diuortiorum erat, cognita in iudicio causa, sciente & adsentiente Magistratu scribere tabulas diuortij. Nec concedebatur disiunctio coniugum propter leues causas, & quælibet incommoda, sed certæ & graues causæ dissoluendi tanti fœderis Iudici exponendæ erant.

At Pharisei antiquo more abolito, faciebant diuortia priuato arbitrio, uel sine causa, uel propter leuißimas causas, eratq́; lex de diuortijs tantum hamus ad captandas alienas mulieres, sicut apud Ethnicos, aut sicut nunc fit in gente Turcica. Talis autem consuetudo, in qua marito licet abijcere coniugem cum uult, sine ulla iusta causa, pugnat cum ipsa coniugij uatura, quod Deus initio ita instituit, ut fœdus esset perpetuæ societatis, cum ait, Erunt duo in carnem unam, id est, mas unus, & unica fœmina inseparabiliter iuncti. Nec lex Moisi sine

causa concedebat diuortia, sed causæ mentionem complectitur, significans ita concedi disiunctionem, siqua turpitudo interuenerit. Et uetus Attica consuetudo erat, non facere diuortia, nisi re iudicata. Postea uero, ut multa alia disciplinæ uincula laxata sunt tempore, crescente petulantia & leuitate, ita et hic uetus mos apud Atticos mutatus est. Ita & ultimis Iudeæ temporibus, minor fuit grauitas in tuendo fœdere coniugali. Non est enim uere uxor, cum uoluntas hæc est uiri, cum libet, sine ulla graui causa eam extrudere. Hæc iniusta consuetudo Phariscorum præbuit causam questioni apud Mattheum cap. 19. ubi de fœdere coniugij prima institutio repetitur, & seuerissima concione damnantur, & prohibentur leues illæ distractiones coniugiorum, usitatæ populo Iudaico, & Ethnicis.

Commune est autem omnibus superstiriosis naturis, omnium ætatum ac gentiū, peruertere ordinem actionum hoc modo, ut seuere & morose exigant ac obseruent suas quasdam ceremonias, & interea negligant necessaria uitæ officia, de quibus Decalogus præcipit, & multis cupiditatibus frenos laxent. Et multi tales sunt, quales in Satyris describuntur præstigiatores, qui simulata grauitate te-

gunt magna uicia, de quibus dicitur. Qui Curios simulant, & Bacchanalia uiuunt, Etsi autem alij Pharisei alijs modestiores erant, ut Gamaliel, aliqui etiam audita doctrina puriore abijciebant errores, ut Nicodemus, tamen plerięque tales erant, circumferebant secum in animis pertinaciter tetros errores de Deo, & de politico imperio Meßiæ, Inscitiam promißionis de remißione peccatorum, inscitiam iusticiæ fidei & ueræ inuocationis, falsam opinionem de Mosaicis, & de suis ceremonijs, deinde addebant hæc magna uicia, admirationem sui, sese sapientes, iustos, & Ecclesiæ Dei Principes & columina esse ducebant, sese propter suos ritus anteferebant omnibus modestis & pijs hominibus in populo, se conspici, coli & metui a ceteris uolebant. Et quidem inter sese ipsi & cum ciuibus superbia, ambitione, æmulatione, maleuolentia, odijs, obtrectatione, uirulentis conuicijs sine fine certabant, ac priuatis cupiditatibus, non solum domesticos tumultus excitarunt, Sed etiam attraxerunt peregrina imperia. Nam & norant et exercebant illas artes Tyrannicæ potentiæ querendæ.

Primum se præsidijs Regum uicinorum & aularum, & factiosorum hominum studijs in populo muniebant, deinde gnauiter faciebant id, quod mo-

net uetus dictum, ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μήποτε γενήσεται δράκων. æmulos suæ potentiæ per calumnias, aut quoquo modo opprimebant.

Præcipue uero infesti erant ijs, qui adhuc ueræ doctrinæ custodes erant. Hos ut tollerent magna uigilantia occasiones captabant, sicut Zachariam Baptistæ patrem interfecerunt.

Etsi autem, ut supra dixi, inter Phariseos alij alijs modestiores fuerunt, aliqui etiam commonefacti, amplexi sunt ueram doctrinam abiectis erroribus, tamen & opiniones & mores fuisse tales, ut recensui eius cœtus, qui sectæ dogmata profitebatur & propugnabat, sequens historia populi Iudaici, & narrationes in Euangelio testantur.

Cum autem non dubium sit, in historijs imagines & similitudines omnium temporum cerni, Lector hanc picturam Phariseorū diligentius aspiciat, ac deinde circumferat oculos per hominum professiones, & consideret, ubi maxime similes opiniones & mores inueniat, dogma de unica persona diuinitatis, Persuasio de iusticia & cultibus, quæ fingit homines esse iustos disciplina, & tolli peccata certis

ritibus, summa est Turcicæ professionis. Sed intueamur Phariseos in eo cœtu, qui nominatur Ecclesia Dei. Multi sunt non solum inter Monachos, sed etiam alibi, qui & opiniones de iusticia & ritibus similimas Pharisaicarum habent, ut manifestum est multos fingere, tolli peccata sacrificio Missæ, & ut ipsi loquuntur ex opere operato, prorsus ut de suis sacrificijs docebant Pharisei. Nec modestius de uotis locuti sunt Monachi.

Deinde ritus non necessarios magna pertinacia & crudelitate multi defendunt, partim, quia superstitione fascinati sunt, partim quia iudicant eos ritus neruos esse potentiæ. Et cum superbia, ambitio, maleuolentia, odium ueritatis, aut etiam priuata odia incendant animos ad mouenda certamina, tamen prætexuntur honestißimæ causæ, propter gloriam Dei, & Ecclesiæ conseruationem tolli homines seditiosos, qui nouas opiniones spargunt.

Cum autem in hac collatione uideris non deesse nunc quoq; Phariseos, querito etiam ueram Dei Ecclesiam, teq; imagine uetusti temporis erudias & consoleris. Erant Simeon, Zacharias, Anna, Maria, eius parentes, & alij multi horum doctrinam audientes,

entes, qui recte inuocabant Deum, & erant semen sanctum, ut uocat Esaias, etiamsi interea gubernationem Ecclesiæ tenebant Sacerdotes & Doctores falsis opinionibus, & contumeliosis aduersus Deum polluti, qui autoritate, multitudine, & potentia, pijs antecellebant. Ita sciamus nunc quoq; uera Ecclesiæ Dei membra esse, homines pios, qui lucem ueræ doctrinæ retinent, & uera inuocatione & pijs officijs Deo seruiunt.

DE SADDVCEIS.

DIXI de Phariseis prolixius, quia ea secta cum magis superstitiosam speciem offunderet oculis hominum, quam Sadducea, antecelluit autoritate. Nunc de Sadduceis breuiter dicam, quia hæc secta non ex superstitione orta est, sed potius ex Epicureo contemptu Dei. Et hæc initia fuisse consentaneum est.

Cum Pharisei immodicis ceremonijs homines onerarent, quas iam nec corpora nec conscientiæ ferre poterant, ut nostro tempore in aliquibus monasterijs uirginum, talium Legum onera immodica

 fuerunt,

fuerunt, & multi gementes modum desiderarent. exorti sunt homines prophani, qui non uero iudicio laxarunt illa uincula, Sed Epicurea audacia contrariam sectam constituerunt, seq; Sadduceos nominarunt. Nam ut se populo commendarent, honestissimum sibi titulum tribuerunt appellatione á iusticia facta, Zaddikim, iusti, Eratq; titulus oppositus Phariseorum adpellationi, qui Interpretes dicebantur, & multa disputabant. Gloriosius est autem, dici Iustos & Legis factores, quam Interpretes & disputatores. Vsitatum est enim Ebreis scribere Sadduceos, litera Zade. Sed alij nomen deducunt á Chaldea uoce, ut aiunt, Sedak, quæ significat scindere, seu diuidere. Quare Sadduceos intelligunt dictos, ut nos loquimur, Schismaticos, diuisos á reliquæ Ecclesiæ sententia. Sed opinor ab aduersarijs eorum, hanc etymologiam traditam esse.

Nec refert unde sit adpellatio. Rem consideremus, & cogitatione tam horrendi exempli expauescamus, in quo conspicitur potentia diaboli horribiliter grassantis in hoc ipso cœtu, qui nomen habet Ecclesiæ Dei, Cum tunc in illa gente optime morata, in qua disciplina facilius retineri poterat, quia angustis finibus inclusa gens erat, & non erant admixti

mixti multi peregrini, ausi sint multi tetros furores publica autoritate proponere, & Scholam Epicureæ similem in media Ecclesia constituere, cogitemus & deinceps magnos errores spargi potuisse in Ecclesias late dißipatas, et in magna confusione imperiorum in consuetudine gentium uiuentes. Nec securi blandiamur nobis, propter titulum Ecclesiæ, quasi semper omnes fuerint ἀναμάρτητοι.

Etsi autem non sine dolore, furores Sadduceorum recitare possum, tamen historiam extare utile est. Adparet ex Ethnicorum, & quidem Epicureorum familiaritate prophanos aliquos Iudeos, & Cyclopicam audaciam, & dogmata impia in Iudeam attulisse, multa enim similia sunt. Retinebat Secta Sadducea nomen Dei, ne prorsus dissoluere illam politiam, quæ maxime uinculis religionis continebatur, uideretur. Sed uerum Dei timorem, & ueram inuocationem ex animis hominum eximebat. Adfirmabat nec animas superstites esse discedentes à corporibus, nec reuicturos esse ullos homines post mortem, nec restare iudicium aliud, quo discernendi sint iusti & iniusti. Fabulas & inania terriculamenta puerorum esse, uitæ perpetuæ nomen, & inferos.

Et quia uideri uolebant, traditionum Pharisaicarum onere leuare hominum mentes, & libertatis doctores esse, Simulabant se reuocare homines ad Moisi scripta. Et ex hoc citabant dictum, in quo prohibet addi aliquid suis legibus. Hoc prætextu abolebant omnia Phariseorum scripta, & omnes eorum interpretationes & traditiones, quæ cum fuissent immodicæ, fuit hæc laxatio, uel σεισάχθεια grata multis, & plausibilis.

Sed ab hoc initio progressi multo longius, eodem prætextu reiecerunt omnes libros Prophetarum omnium, præter Moisi uolumina. Et hunc contendebant tantum de hac mortali uita concionari. Et ut politiæ forma retineatur, dicebant obediendum esse Legi, & sacrificia facienda esse, quia Deus in hac uita puniat atrocia delicta, Econtra uero propter benefacta & obedientiam det pacem & ubertatem frugum. Hæc confirmabantur dictis Moisi in benedictionibus & maledictionibus.

Et breuitas doctrinæ grata erat leuibus ingenijs, & prophani delectabantur opinionibus, quæ sensuū iudicijs confirmantur, ut fieri solet, quia magnum onus est, assentiri sententijs extra conspectum no-

strum

ſtrum poſitis. Ideo ut Epicureæ Scholæ, ita huic ſe=ctæ, quantumuis ſceleratæ, non defuit frequentia.

Etſi autem uera hæc ſunt, Deum cuſtodem eſſe politicæ ſocietatis, ac punire iniuſtas cedes in hac uita, & ne ſocietas diſsipetur, & ut ſignum iuſticiæ diuinæ manifeſtum conſpiciatur, tamen interea Deus ſingulari conſilio multos homines iuſtos interfici ſi=nit á ſceleratis, ut Abel, infantes Iſraelitarũ in ægy=pto, Ionathan, Eſaiam, Ieremiam, & alios innume=rabiles. Hæc exempla teſtantur reſtare aliud iudi=cium, in quo Deus declarabit iuſticiam ſuam, & utriſq; iuſtis & iniuſtis adductis in iudicium, & ab=iectis in ſupplicia iniuſtis, oſtendet iam uictores eſſe iuſtos, qui aliquantiſper uelut extincti iacuerunt. Cum enim Deus Abel, Ionathan, Eſaiam, Ieremiam, ſibi curæ eſſe ante mortem oſtenderit, ſi negligeret eos poſtea, id uero nec prouidentiæ nec iuſticiæ con=ueniret.

Manifeſtum eſt igitur Sadduceos, qui negant poſt mortem reſtare aliud iudicium, de magna parte generis humani, imo de preſtantibus iuſticia, pro=uidentiam & iuſticiam Deo detrahere. Stat Saddu=ceus ſacerdos ad aram, cogitans Iſraeliticam gentem á Deo electam, quæ unica ueram Dei noticiam in

terris habet, toties oppressam esse ab Aegyptijs, à Chaldeis, à Syriacis Regibus, & tunc uagari in Iudea uicinos, & multa millia iustorum hominum trucidare, & cogere ciues, ut cadaueribus interfectorum ciuium uescantur, hic quomodo tribuet Deo prouidentiam & iusticiam, si & nunc negligit suos, & postea non restat immortalitas? Vmbram igitur ceremoniarũ in speciem retinuerunt Sadducei, uelut ludos, re ipsa uero prouidentiam sustulerunt, ut Epicurei.

Non possum non cohorrescere hæc recitans, cum cogito in populo Dei hos diabolicos furores publice & palam uagatos esse. Relinquo igitur tristem narrationem, & toto pectore oro filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro genere humano in gente Iudaica, & resuscitatum, quem uere credo & nunc seruare suæ Ecclesiæ reliquias, & postea mortuos in uitam reuocaturũ esse, & pios adducturum ad æternam Dei consuetudinem, & impios abiecturum in æterna supplicia, ne lucem suæ doctrinæ & ueram Dei noticiam inter nos extingui sinat, sed accendat in nostris & multorum mentibus pietatem, & ueram inuocationem Dei, & uerum amorem iusticiæ, ac propter

suam

suam gloriam, sua iustissima ira deleat Epicureos omnes, & similes, qui uocem Euangelij, tanquam fabulosam deridere sapientiam esse ducunt. Tales furias Deus æterne Pater domini nostri Iesu Christi, conditor generis humani & Ecclesiæ tuæ, ubiq; deleas & perdas.

Cum autem de tantis rebus inter Phariseos & Sadduceos certamina fuerint, cogita Lector, non solùm, quam perniciosi & crebri tumultus in ea gente fuerint, sed etiam, quam duriter exercuerint ueram Ecclesiam, Simeonem, Zachariam, & eorum gregem, utriq;, Pharisei & Sadducei, & insuper alij multi palam athei. Vt autem inter tot Lupos & Leones, seruati sunt tunc aliqui pij doctrinæ custodes, ita speremus nunc quoq; Deum seruaturum esse aliquos pios doctrinæ custodes, & hac spe uocem Euangelij discamus, & literarum studia colamus, & exemplo Simeonis & similium modeste feramus ærumnas, quas esse fatales Ecclesiæ uidemus.

DE ESSEIS.

VSITATVM est autem semel motis seditionibus, subinde plures fieri dilacerationes, sicut fingit Homerus, aperto utre in quem Aeolus incluserat uentos, erumpentibus diuersis uentis mare undiq; turbatũ esse, ita in Imperijs semel turbato ordine politico, multæ postea distractiones sequuntur. Plures igitur in Iudea sectæ inter certamina Phariseorum & Sadduceorum, exortæ sunt. Aliqui enim detestantes prophana dogmata & Ethnicam licentiam Sadduceorum, & uidentes apud Phariseos fucosam pietatem, & multis magnis uicijs, libidinibus, ambitioni, maleuolentiæ, liuori, crudelitati, maledicentiæ, rapacitati, tanquam nubem obduci, simulationem toruitatis & ceremonias quasdam, ab utrisq; discesserunt.

Et nominarunt se quidam Esseos, id est, operarios, quo titulo significabant, & quid in alijs reprehenderent, & qua in re antecellere alijs uellent, uidelicet, & fugere se prophanam licentiam Sadduceorum, et non probare Histrionicam simulationem Phariseorum, sed se opera utilia alijs, præcepta diuinitus

nitus facturos esse, & illam usitatam sententiam in ore habebant, ἅπας λόγος ἂν ἀπῇ τὰ ἔργα, μάταιόν τι φαίνεται καὶ κενόν.

Ideo autem nulla fit eorum mentio in historia Euangelica, uel quia nullum nouum genus doctrinæ constituerunt, sed cōmunem Moisi & Sacerdotum doctrinam amplexi sunt, uel quia in extrema ora Iudeæ ad lacum Asphaltiten, tanquam in secessu habitabant, & à gubernatione abstinebant, & Phariseorum ac Sadduceorum contentiones fugitabant. Genus uitæ simile erat Monachis, Nam Essei aut celibes erant, aut in coniugio consuetudine coniugali abstinebant, suas facultates singuli in commune conferebant, deinde operas præscriptas faciebant, Nemo diuitias, uoluptates, aut honores querebat, Sed hortos in solitudine sua colebant, & magna cura naturas stirpium, succorum, lapidum, & animantium studiose inquirebant, remedia adparabant, & artem medicam fideliter exercebant, quæ magis quam ceteræ artes, uitæ hominum iuuandæ seruit, & simul multas uirtutes exercet, beneficentiam, tolerantiam in consuetudine ægrotorum, quos fouere, gestare, pascere, lauare, magnus labor est, et molestius est fœtorem ulcerum, sudoris, et reliquam illuuiem sentire, Deinde artis, fidei, &

diligentiæ

diligentiæ laus est recte adparare remedia, & nosse morborum genera, & quibus morbis, quæ remedia opponenda sint, & tempora iusta medicationis obseruare, deniq; magnæ & multæ sunt uirtutes, & magna beneficia docti, sagacis & fidelis Medici.

Vtile opus est & iuuentuti tradere literas, doctrinam de bonis moribus, et artem medicam, et adsuefacere tenera ingenia ad disciplinam & ad uirtutis intellectum. Erant igitur in collegio Esseorũ delecti eruditiores certo numero, qui multos ex totã Iudea docebant. Nam homines modesti & fugitantes gubernationem in tantis discordijs ciuilib. libentius commendabant filios huius sectæ doctoribus, quam alijs, à quorum amicicia & societate, cum uiderent eos priuatis cupiditatibus tumultuari in re publica, et mouere multa non necessaria certamina, ualde abhorrebant.

Cum autem dirigerent uitam Essei ad duas res præcipuas, ad Dei inuocationem in priuata uita, & ad honestos labores corporis, qui & arcerent uicia, & alijs hominibus prodessent, ita erant distributa tempora, ut mane operas facerent, usq; ad quintam diei horam, hoc est, ad horam antemeridianam. Hac hora finitis operis, conueniebat certus numerus ex uicinia, ut loca quæq; distributa erant. In hoc

con-

congressu recitata aliqua parte Moisi aut Propheticorum monumentorū, seniores, qui cœtui præerant, enarrationem addebant. Hanc non referri in commentarios, sed mente excipi & transferri ad morū gubernationem uolebant, & monebant pro tempore ea, que uidebantur profutura tranquillitati. Nolebant enim suos collegas accedere ad rempublicam. Post illam lectionem & enarrationem, fiebat inuocatio Dei, publice & priuatim. Id tempus cogitationi, & precationi maxime idoneum esse iudicabant, cum iam corpora nec cibo, nec fumis onerata sunt, & acerrima in ieiunis intentio esse potest.

Consumptis in lectione & precatione duabus aut tribus horis, postea ad cœnam singuli discedebant, uel communem aliquot conuictorum, uel domesticam, ut singuli constituerant, aut eorum ualetudo poscebat. Reliquum diei tempus ad uesperam tribuebatur eruditis sermonibus de Deo, de stirpib. de medicationibus, de experimentis singulorum, de historia suæ gentis, & communibus miserijs. Ante tenebras noctis rursus ad precatiōem conueniebant.

Quanquam autem ordo actionum eleganter institutus erat, & pleriq; in his collegijs modeste uiuebant,

uebant, tamen interdum aliqui uincebantur suis cupiditatibus, ut legum diuinarum obliuiscerentur. Et uicina oppida licentiam uoluptatibus concedebant, sed collegij seueritas hæc erat, ut cum quispiam uel defraudasset alios, uel mentitus esset, uel libidine pollutus fuisset, statim eum communi sententia à toto cœtu excluderent. Estq; inter hos obseruata consuetudo uetustissima Synagogæ, de qua contio loquitur in capite Matthei decimo octauo. Non enim noua iudicij forma ibi instituitur, sed uetus mos recitatur, traditus à primis Patribus, cuius uestigia semper in Ecclesia manserant.

Hæc igitur politia Esseorum disciplinæ partes præcipuas complectebatur, doctrinæ studium, exercitia inuocationis, gubernatorum reuerentiam, labores corporis, temperantiam, honestos mores congruentes Decalogo, educationem adolescentiæ, cui literas & artem medicam aliqui tradebant, pœnas delinquentium. Iam si quis quærat, quid in tali consuetudine reprehendi posit? huic respondeo de uoce æterni Patris, qui inquit de filio, Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite. Et toties antea prophetæ iusserant audiri Meßiam, ut Psalmus secundus inquit, Osculamini filium. Fortassis autem in illo cœ-

tu non

tu nonnulli ueram doctrinam de Meßia norant. Sed qui eam non didicerunt, aut etiam aspernati sunt, hos nequaquam placuisse Deo, & nequaquam ueræ Ecclesiæ Dei membra fuisse, uox diuina pronunciat.

Laudanda est disciplina, sed accedat uera agnitio filij Dei, ut ipse inquit: Nemo ueniet ad Patrem, nisi ducente filio. Prædicat Iosephus collegium Esseorum, & confert scholæ Pythagoræ, sed hæc non est præcipua laus in Ecclesia Dei. Plinius etiam eorum mentionem facit admodum honorificam in libro quinto, qui Essenos nominat, quæ adpellatio et ab alijs usurpata est. Nec de alio hominum genere, nisi de his ipsis Esseis ibi loquitur. Ac narrat Esseorum sedem ad Lacum Asphaltiten fuisse, in ea parte, quæ Lacui uicina est ad occasum, non procul ab oppido, cuius nomen in historia Euangelica celebratum est Iericho, ubi fuerunt horti Balsami. Et fortaßis propter studium artis Medicæ delectus est hic locus, quo uix alius in toto orbe feracior fuit præcipuorum remediorum. Adparet autem cum ex illo Plinij loco, tum ex Iosepho, durasse collegium Esseorũ usq; ad Vespasianum. Ac Iosephus fortitudinem eorum egregiam in bello fuisse narrat. Hanc commemorationem de sectis eius temporis, in historia

necessariam esse duxi. Cum enim uulnera Ecclesiæ illius uetusti temporis ostendat, multa monet etiam de sequentibus ætatibus.

Multæ similes fuerunt & erunt his postremis temporibus Ecclesiæ dilacerationes, in quibus quomodo regenda mens sit, & ubi quærenda sit uera Dei Ecclesia, ad quam pij se adiungere debent, exempla docent, Zachariæ, Baptistæ, Ioseph, Mariæ, Annæ, qui cum ueræ & incorruptæ doctrinæ custodes essent, ueræ Ecclesiæ Dei membra erant. Ita & deinceps etiamsi dominabuntur in Ecclesia multi, uel Pharisæorum, uel Sadducæorum similes, tamen alij, qui amplectuntur incorruptam Euangelij doctrinam, erunt ueræ Ecclesiæ Dei membra.

Nunc ad Hyrcanum redeo, qui cum sacerdotium, & principatum tenuisset annis 31. defunctus reliquit filios 5. tribus rebus maxime fœlix iudicatus, quod princeps populi, quod summus Sacerdos tam diu in pace fuisset, quod singulari dono prædictionis rerum futurarum diuinitus ornatus credebatur.

IOHANNI HYRCANO *filij fuerunt quinq;.*

- ARISTOBULUS.
- ANTIGONUS. *egregius iuuenis, qui uiuente patre cum fratre Aristobulo Antiochum Cyzicenum Iudea eiecerat, & Samariam expugnauerat, Post patris obitum à fratre regio diademate ornatus est, Cumq; paulo post, rebus præclare gestis in Galilæa, cum satellitio ornatißimo ascendisset ad festum Tabernaculorum Hierosolyma, fratri suspectus, per insidias non procul à templo à militibus Aristobuli occiditur*
- ALEXANDER. *qui & Iamnæus filios habuit*
  - HYRCANUM II.
  - ARISTOBULUM II.
- ABSOLOM. *quietioris animi homo priuatus uixit.*
  - *Filia nupta patrueli Aristobulo secundo.*
- *Quintus* ἀνώνυμος, *Cum mortuo Aristobulo regnum affectaret, à fratre Alexandro occisus est.*

ARISTOBVLVS post patris Hyrcani mortem, principatum in regiam dignitatem commutans, primus sibi Diadema imposuit, & fratri Antigono quoq; misit, quem diligebat, Cæteros tres fratres in custodiam detrusit Quin & matrem, cui Hyrcanus moriens gubernationem principatus reliquerat, postulantem successionem, carcere diuturno & fame necauit.

Postea & Antigonum fratrem, præstantem bellatorem, recens à uictoria ex Galilæa reuersum collocatis insidijs interfici curauit, quod eum affectati regni suspectum habebat.

Mox pœnitentia fraternæ cedis morbo intestinorum correptus, cum sanguinem copiosum uomeret, puer aulicus, qui cum in pelui ferebat, eo ipso in loco, ubi Antigoni interfecti cruore terra fœdata fuerat, forte collapsus, Aristobuli sanguinem effudit. Quo cognito Aristobulus Dei uindictam iustam agnoscens, cum maximis animi & corporis cruciatibus, animam tandem exhalauit, cum unum tantum annum regnum tenuisset, quo interuallo tamen & Iudeæ regnum accessionibus aliquot auxit, & Ituræos deuictos ad Circumcisionem adegit. Dictus est

φιλέ-

φιλέλλην, quod Ethnicorum familiaritate multum uteretur.

ALEXANDER qui & IAMNEVS.

Hunc Pater Hyrcanus non uidit. Nam cum ei de succeßione filiorũ anxio in somno prædictum esset, ad hunc recens natum Alexandrum principatum & opes ipsius deuenturas, indignatus, iußit eum in Galilæa priuatum educari.

Post mortem patris Hyrcani cum alijs fratrib. duobus ab Aristobulo in uincula coniectus, & post annum extincto Aristobulo, auxilio coniugis Aristobuli Alexandræ, ad regnum euectus est, cum ei connubium promisisset.

Adeptus Regnum, mox ex fratribus duobus alterum nouas res molientem, interfecit. Alterum quietioris ingenij honorifice habuit.

Deinde constitutis regni rebus, Ptolemaidem obsidione cingit, Cuius ciues desperatione auxilij Syriaci, rebus ibi bello intestino afflictis, Ptolemeum Lathurum à matre Cleopatra expulsum, ex Cypro accersunt, quo aduenientc cum 30. millibus, Alexander copias suas à Ptolemaide domum reducit,

& clam mißis Legatis in Aegyptum, auxilium à Cleopatra contra filium Lathurum petit. Aperte autem agit cum Lathuro de fœdere faciendo, promittens 24. Tonnas auri, si pulso Zoilo Tyranno, qui Doram & Cæsaream tenebat, ditionem eius Iudeis traderet.

Sed Ptolemeus certior factus de machinatione occulta Alexandri, rupto fœdere, cum exercitu Iudeam inuadit, cui occurrens Alexander cum copijs instructioribus, commisso ualido prælio, in fugam conuertitur, & occisa sunt triginta millia eo die. Qua uictoria exultans Lathurus, Iudeam crudeliter uastat, alicubi quicquid puerorum & mulierum in pagis reperit, mactari, & concidi in frusta, & coqui militibus suis in cibum iußit, ut eo terribiliores Iudeis essent.

Sed hunc grassatorem, mater Cleopatra, paulo post ex Iudea eiecit, metuens, ne si filius cresceret, Aegyptũ inuaderet. Ad eam obsidentem Ptolemaidem cum magnis muneribus profectus Alexander Hyrcani, benigne suscipitur, & facto fœdere cum Cleopatra, domum redit.

Paulo

Paulo post reuerso Lathuro in Cyprum, & Cleopatra in Aegyptum, Alexander expugnauit Gadara, Amathuntem, Anthedonem, Gazam quoq; diu obsessam, multis ibi suorum amißis, tandem proditione Lysimachi accepit, & crudeliter omnibus ciuibus trucidatis, solo æquauit. Nam ne quingentis quidem optimatibus pepercit, qui autores dedendæ ciuitatis fuerant, quin eos ex Apollinis templo, quo confugerant, abreptos interficeret.

His succeßibus lætum domestica seditio excepit. Nam in festo tabernaculorum à populo conuitijs exagitatus, ut indignus sacerdotio, quod esset ex captiua matre natus, parum abfuit, quin sacrificans extingueretur à circumstante multitudine, ramos in ipsum conijciente, quos pro ritu festiuitatis Iudei gestabant. Qua iniuria commotus immisso milite in turbam inermem, ad sex millia simul occidit, & custodes corporis peregrinos ex Persia & Cilicia plures conduxit.

Deinde rursus cum exercitu egressus, Moabitas & Galaaditas uictos, tributum pendere cogit.

Sed paulo post iniquo fato cum Oboda Arabum Rege congressus & insidijs exceptus, amisso exer-

citu ægre euasit. Qua infœlicitate eius occasionem sumentes Pharisci, qui odio ipsius ardebant, concitarunt maiorem populi Iudaici partem cõtra ipsum, cum qua gessit bellum difficile toto sexennio. Nam Iudei aduersantes ipsi, Demetrium Gryphi filium, Damasci regnantem, accersitum, uiribus eius opponebant, cum quo infœliciter congressus Alexander, & ingenti strage uictus, omnem peregrinũ militem in prælio amisit, & ipse uix fuga elapsus, hac sua calamitate permouit Iudeos aliquos, ut digressi à Demetrio se ipsi adiungerent. Ita collectis denuo sex millibus respirare cepit.

Etsi autem post illam uictoriam Demetrius animaduersa Iudeorum defectione, reliquum suum exercitum ex Iudea domum reduxit, tamen maior pars Iudeorum, qui contra Alexandrum coniurauerant, in armis manserunt, quorum uires Alexander industria & uirtute paulatim fregit, aliquot paruis prælijs superior factus, donec tandem potentißimos suos inimicos in munitiõem urbis Bethomis compulit, qua difficulter expugnata, in captos crudeliter sæuijt. Nam ductos Hierosolymam octingentos precipuos Iudeos, in conuiuio cum concubinis accubans, conuiuis spectantibus, omnes crucibus affigi

iußit,

iußit, prius in conspectu ipsorum coniugibus ac liberis misere trucidatis. Hoc crudelitatis exemplo territi reliqui aduersarij, ad octo millia nocte profugerunt ex Hierosolymis. Atq; ita tristißimum bellum intestinum restinctum fuit, quod sex annos durauerat, in quo ultra 50. millia Iudeorum perierunt.

Post domesticos motus excursionibus aßiduis exteros hostes ultus est, qui Iudeis sediciosis & receptus prebuerant, & auxilia miserant, ubi multis oppidis expugnatis domum reuersus, intemperantia quartanam febrim accersiuit, qua cum triennium laborasset, neq; sic tamen contineri à militia posset, mortuus est in ipso belli labore, in monte Gergesenum castellum quoddam obsidens, anno ætatis 49. sacerdotij & regni 27. anno.

Ante mortem coniugi Alexandræ regni administrationem commisit, & mandata dedit de placandis rursus Phariseis, quos ipse & pater cum suo malo offendissent.

Reliquit duos filios.

HYRCANVM & ARISTOBVLVM.

De quibus paulo post. Prius enim de Alexandra cõiuge Alexandri Iamnei dicendum est.

ALEXANDRA. coniunx Alexandri Iamnei.

Cum maiorem filium Hyrcanum, priuata uita gaudentem, fecisset summum sacerdotem, ipsa in regno Alexandro marito successit, maxime adiuta potentia Pharisæorum, quibus et ius reuocandi pristinas suas traditiones concesßit, sublatas ab Hyrcano socero, & alia plurima indulsit, ita ut Pharisæi pro sua libidine Regnum administrarent, nomen Reginæ obtinente Alexandra.

Tandem cum eo audaciæ procederent, ut etiam ad supplicium uocarent præcipuos Alexandri consiliarios, quorum autoritate cum aduersus factionem Pharisaicam instigatum, multa asperius fecisse credebant, amici Alexandri cum Aristobulo filio accedentes ad Reginam, obtinuerunt, ut dimitterentur ex aula ad custodias castellorum.

Circa hæc tempora Tigranes Parthorum Rex, Syriæ regnum occupauit, cum Syriaci Reges bellis intestinis omnes suas uires perdidissent. Cumq; Iudeam etiam ingressus, Ptolemaidem obsideret, Regina Alexandra misßis muneribus, pacem redemit. Tigranes Ptolemaide capta copias in Regnum reduxit, audito nuncio de Luculli uictoria & Mithridatis fuga.

Post

Post aliquod interuallum cum incidisset in morbum Alexandra sæuißimum, Aristobulus filius ægre ferens dominationem Pharisæorum, clam ad patris amicos castellis præfectos profugit, quorum auxilijs adiutus, Iudeæ præcipuas urbes occupat. Ibi in ipsa trepidatione Pharisæorum, & metu aduentantis Aristobuli cum exercitu, Alexandra extinguitur morbo, anno regni 9. ætatis 73. quæ quidem pacem Iudeæ restituit, sed quia auxit potentiam Pharisæorum, multarum turbarum, quæ secutæ sunt, causam præbuit.

ALEXANDRI IAMNEI & ALEXandræ filij fuerunt.

HYRCANVS II. — ARISTOBVLVS II.

HYRCANVS secundus, ingenióque sedato, & tranquillitatis amans, à matre Alexandra summus Sacerdos constituitur in locum patris defuncti.

Cum autem post matris mortem etiam Regnū iure hæreditario adeptus fuisset, ab Aristobulo fratre prælio uictus, & in munitionem templi fugere coactus,

actus, iubetur priuatus uiuere, & Regnum cum sacerdotio summo, fratri concedere. Quibus conditionibus cum aliquandiu acquieuisset, tandem ab Antipatro Idumeo, Herodis patre, uarijs criminationibus de Aristobuli fratris insidijs, impellitur, ut in Arabiam ad Regem Aretam profugiat, quem idem Antipater magnis promißionibus perpellit, ut Hyrcanum in Regnum Iudeæ restituere conaretur.

Aretas igitur cum exercitu Iudeam ingressus, Aristobulum occurrentem acie uicit, & capta urbe Hierosolyma templo inclusum obsedit aliquandiu, donec Scauri iussu, qui Pompeij Legatus Syriæ præerat, copias suas in Arabiam reducere coactus est. Ita hic conatus Hyrcani irritus fuit.

Deinde cum Pompeius uicto Tigrane in Syriam uenisset, duo fratres Hyrcanus & Aristobulus inter se accusare coram Pompeio ceperunt, & de regni ac sacerdotij iure contendere. Sed Pompeius Antipatri prudentia & officijs æquior factus Hyrcano, certis conditionibus dimittit Aristobulum, quas cum ille contemptu eluderet, Pompeius capta urbe Hierosolymorum, decedens, Hyrcano summum sacerdotium sine regno restituit, & Aristobulum captum secum Romam abduxit. Ita

Ita Hyrcanus recepto sacerdotij principatu, quarto anno post matris Alexandræ obitum, Scaurum relictum in Iudea cum duabus legionibus, & petram Arabiæ urbem obsidentem, cõmeatu adiuuit. Idem postea alios Duces Romanorum in Iudeam missos, suasu & fœlicitate Antipatri sibi conciliauit, Gabinium, Crassum, Caßium, deniq; ipsum etiam C. Iulium Cæsarem, cui difficillimum bellum in Aegypto gerenti, auxilia misit Antipatro duce, qui cum se fortiter ubiq; geßisset, à Cæsare uictore sacerdotium Hyrcano confirmatur, Antipater uero totius Iudeæ Tutor constituitur.

Eo tempore Cæsar etiam petenti Hyrcano, permisit restitutiõem munitionum urbis Hierosolymæ, quas Pompeius demolitus fuerat.

Post C. Iulium Cæsarem à coniuratis interfectum, quidam potens Iudeus Malachus, indigne ferens Antipatri Idumei potentiam crescere, & penes ipsum solum omnium negociorum administrationem esse, incautum ueneno necat. Ab eo tempore miserabilis status in Iudea esse cepit, destituta fortis & prudentis Ducis gubernatione. Nam cum Malachus spe principatus tumultuaretur, ab Herode filio Antipatri,

tipatri, quem pater Galileæ iuuenem adhuc præfecerat, in primo conatu occiditur. Sed & frater Malachi, necem germani uindicaturus, hostiliter grassari cepit, & Antigonus Aristobuli captiui filius, collecto exercitu, bonam partem Iudeæ subegit.

Hos ipsos quoq; cum Herodes repressisset, Antigonus promißis mille talentis, hoc est, sex Tonnis auri, & quingentis nobilißimis mulieribus, Pacorum & Barzapharnen Parthici Regis satrapas impellit, ut cum exercitu Iudeam ingreßi, oppresso Herode, eiusq; fratre Phaselo, quos iam Tetrarchas Iudeæ Antonius triumuir fecerat, Regnum Iudaicum Aristobuli filijs restituere conarentur.

Pacorus magis arte quam ui capi posse Herodem ratus, Antigonum cum aliquot turmis equitum præmittit ad occupandam urbem Hierosolymorum, ipse classe littus legens, Ptolemaidem uenit, Barzapharnen per mediterranea loca, cum iusto exercitu subsequi iubet. Ad Antigonum igitur aduentantem frequentes accurrunt, & auxilium contra Herodem promittunt. Et multis prælijs in urbe & extra mœnia factis, Herodes & frater ferè superiores fuerunt.

Tandem

Tandem suis uiribus diffidens Antigonus, Pacorum in urbem accersit, prætextu quidem, ut tolerabilibus conditionibus controuersiam inter ipsum et Herodem de principatu tanquam arbiter componat, reuera autem ut Herodem nihil suspicantem opprimat.

Deinde Hyrcano patruo ac Phaselo curat persuaderi, ut ad Barzapharnen, qui cum exercitu in Galilæa substiterat, legati proficiscerentur, eumq; oblatis munerib. permouerent, ut exercitũ reduceret in Syriam. Ei consilio cum Hyrcanus summus Sacerdos & Phaselus frater Herodis obtemperassent, nihil mali suspicati, à Parthis, ut res fuerat cõposita, contra ius gentium capti, & uincti Antigono traditi sunt.

Herodes præmonitus de insidijs & pactione Antigoni & Pacori, cum tota familia & amicis aliquot, et cum octingentis mulieribus opibus ac forma præstantibus, nocte clam urbe egressus, corpora & res suas in Massadam Idumeæ oppidum munitum collocat, ipse per Aegyptum incommodissimo tempore contendit Romam.

Phaselus Antigoni sæuiciam metuens, ut erat inermis & uinctus, capite aliquoties durius alliso in parietem, mortem sibi consciuit.

Hyrcanum

Hyrcanum Antigonus non contentus semel sacerdotio summo spoliasse, etiam auriculis mordicus præcisis deformat, ne unquam posthac reuocari ad sacerdotij munus posset. Non enim fas erat quenquam sacerdotio præesse mutilum, aut quocunq; membro captum.

Ac ne sic quidem satis securitati suæ prospectum arbitratus, uinctum Hyrcanum Parthis reddit, abducendum quam longissime extra Iudeam.

Barbari uero cognita Herodis fuga, irati propter abductas mulieres, quas Antigonus tradere ipsis promiserat, urbem ac regiam domum diripiunt, nec contenti illa præda, etiam circa Hierosolymam multa loca spoliant rebus omnibus, & cum Antigonum Regem Iudeæ constituissent, copias domum reducunt, trahentes secum Hyrcanum summum Sacerdotem captiuum.

Eum paulo post Phraates Rex Parthorum, cognita generis nobilitate, uinculis solutum, Babylonem misit, ut ibi habitantibus Iudeis præesset, ubi quinquennium ferè Hyrcanus in magno honore habitus fuit.

Sed

Sed postquam comperit Herodem non modo regnum Iudeæ per Augustum Cæsarem adeptū esse, uerum etiam sibi affinitate iunctum esse, ducta nepti ipsius Marianne filia Alexandri, multum sibi de Herodis beneuolentia pollicens, cepit de reditu cogitare.

Accidit autem, ut eodem tempore Herodes Iudeorum animos conciliaturus, quibus sciebat Hyrcanum carum esse, eum per literas & Legatos honorifice reuocaret, mißis ingentibus muneribus ad Regem Parthorum, quibus redimeretur captiuus. Quare nequaquam amplius cunctandum ratus Hyrcanus, omnibus Iudeis Babylonijs dissuadentibus, & deprecantibus migrationem, & id quod postea accidit, metuentibus, in Iudeam reuersus est.

Hic eum Herodes magnifice exceptum, in honore aliquandiu habuit, patrem appellans, & cum eo de summa rerum sæpe deliberans, ad sacerdotij tamen principatum cum non admisit propter auricularum defectum, sed substituit in Antigoni interfecti locum Ananelum quendam ex Babylone profectum sacerdotem Iudeum.

Sed non ita multo post indicia manifesta præbuit odij singularis aduersus totam Asmoneorum

posteritatem, cum per insidias occidit Aristobulum nepotem Hyrcani, & eiusdem neptem Mariannen coniugem suam dilectissimam.

Tandem cum uicto & interfecto Antonio triumuiro, cui socius Herodes fuerat & auxilia miserat, metu Augusti uictoris angeretur, & suos in Iudea aduersarios timeret, præcipue autem uereretur, ne concitata per illam occasionem multitudo, quam infestam habebat, auitum regnum ad Hyrcanum transferret, qui unus de regia Asmoneorum familia erat reliquus, misero seni insidias struere cœpit, & conficto crimine adfectati regni, & literis ad id comprobandum compositis, cum Synedrij sententijs damnatum supplicio affici curauit, egressum octogesimum ætatis annum, & in tota fere uita uarijs fortunæ casibus iactatum, cum tamen natura esset ocij & mediocritatis amans, sed nimis facilis ad auscultandum sermonibus impellentium ipsum ad res nouas tentandas.

ARISTOBVLVS II.

ARISTOBVLVS secundus, frater Hyrcani secundi, filius Alexandri, etsi erat uehementis animi

iuuenis, tamen matri administrationem, quam à marito Alexandro moriente acceperat, nouem annis concesʃit, priuata uita contentus.

Tandem cum mater periculoſe ægrotaret, inique ferens omnia Phariſæorum libidine administrari, clam urbe egreſſus, ad patris amicos, caſtellis præfectos confugit, à quibus benigne adiutus exercitum colligit, quo ſtipatus loca uicina Hieroſolymæ occupat. Cumq; in ipſo apparatu belli mater Alexandra eſſet extincta morbo, & Hyrcanus, qui hactenus regnante matre ſummum ſacerdotium tenuerat, etiam regnum hæreditario iure, ut natu maior, adeptus eſſet, ut id armis contra fratrem defenderet, cum inſtructo exercitu fratri occurrit ad Hiericuntem. Sed deſertus à ſuis militibus, tranſeuntibus ad Ariſtobulum ſpe maiorum præmiorum, fugit in Hieroſolymitani templi munitionem, ubi aliquandiu à fratre obſeſſus, tandem his conditionibus liberatur, ut & Regnum et ſummum ſacerdotium Ariſtobulo fratri concedat, ipſe priuatus uiuat.

Aliquanto poſt cum Antipatri impulſu clam in Arabiam profectus, Aretæ Regis ope ſperaret ſe regnum Iudeæ fratri erepturum, Ariſtobulus aduen-

tantibus simul Aretæ Regi Arabum, Hyrcano, & Antipatro, obuiam profectus, & difficili prælio uictus Hierosolymam fugit, ubi sequentibus hostibus aliquandiu in templo obsidetur, donec promißis quadringentis Talentis Scaurum Pompeij legatum impulit, ut autoritate Romani Senatus mandaret Aretæ Iudea excedere, nisi hostem populum Romanum habere mallet.

Ita obsidione soluta, Aristobulus collecto exercitu, ultro etiam ulciscendi causa Arabibus bellum inferens, uno prælio sex millia occidit.

Postea cum Pompeius pacato oriente uenisset Damascum, & Aristobulus misso magnifico munere, fratrem Hyrcanum ut turbatorem communis pacis in Iudæa, atrociter accusasset, iusi sunt ambo fratres ineunte uere ad Pompeium uenire Damascũ. Pompeius audita controuersia æquior factus Hyrcano & propter causam ipsam, & præcipue propter Antipatrum, dimittit Aristobulum in patriam certis conditionibus, Sed cum ille pactis non staret, & machinationibus quibusdam iussa eluderet, iratus Pompeius cum exercitu, quem contra Nabatheos Arabes ducturus fuerat, Iudeam ingreditur. Vbi cum denuo promißis

promißis pecunijs Aristobulus Gabinium legatum præmissum ludificatus esset, magis irritatus Pompeius perfidia Aristobuli, exercitum & machinas Hierosolymorum mœnibus admouit, & non dedentibus se Iudeis, ui expugnatam urbem cepit, adiutus consilijs Hyrcani, die Ieiunij mensis tertij circa Pentecosten, anno quo M. Tullius Cicero Consul Romæ coniurationem Catilinæ repreßit.

Capta urbe ultra uigintiduo millia Iudeorum interfecta sunt à militibus. Pompeius cum suis amicis Sanctum sanctorum ingressus, perlustrauit ea, quæ solis summis Sacerdotibus aspicere licebat. Vbi cum ingentem uim auri facti, & pecuniæ duodecim Tonnas in Thesauris esse comperisset, illis omnibus ibidem relictis, egressus iußitlocum rursus expiari.

Hyrcano Sacerdotium summum restituit, autores belli, qui Aristobulũ ad rebellandum impulerant, securi percußit, Hierosolymorum muros demoliri mandauit, & totam Iudæam tributariam populo Romano fecit, coactam exiguo temporis spacio pendere Myriadem Talentorum, hoc est, sexaginta Tonnas auri.

Ciuitates quoq; quas Aſmonei Regibus Syriæ antea ademerant, imperio populi Romani adiudicauit, alijs olim liberis ciuitatibus priſtinam libertatem reddidit. Ita Iudaicam gentem antea late dominantem, intra anguſtos fines concluſit.

Deniq; decedens relictis in Iudea duabus legionibus cum Scauro, captum Ariſtobulum cum duobus filijs, Alexandro & Antigono, ſecum ad triumphum abduxit, de quibus Alexander in itinere cuſtodes fallens effugit.

Hoc fuit initium ſeruitutis genti Iudaicæ, cum in poteſtatem Romanorũ uenit, Cauſam autem primam huius calamitatis præbuit duorum fratrum diſcordia, Anno ſexageſimo ante natum Chriſtum, Cum Ariſtobulus poſt matris obitum, & deiectum regio faſtigio fratrem Hyrcanum, quatuor annos tantum regno Iudeæ præfuiſſet. Eodem anno captæ Hieroſolymæ, ſcribit diuus Hieronymus natum eſſe patrem Mariæ uirginis Ioakim.

Libuit hic annotare etiam Pompeij triſtem interitum, cum uideatur diuinitus ita factum eſſe, ut quaſi in conſpectu eius loci extingueretur, quem ipſe & ſanguine & temerario ſuo auſu prophanauerat.

Nam quatuordecim annis post occupatam urbem Hierosolymam, pugna Pharsalica uictus à Cæsare, cum ad Ptolemæi Auletæ filium supplex confugisset, cuius patrem expulsum regno, & exulantem ipse senatui commendauerat, ac restitui in Regnum effecerat, ad Pelusium oppidum Aegypti, egrediens ex nauicula, fere sexagenarius, in conspectu Corneliæ coniugis, iussu Regis Ptolemæi occiditur, et ut Vergilius de hoc ipso cecinisse creditur.

iacet ingens littore truncus,
Auulsumq; humeris caput, et sine nomine corpus.

Abest autem Pelusium ab urbe Hierosolyma paulum supra triginta milliaria Germanica, iuxta Ptolemæi rationem.

Aristobulus autem cùm septimo anno post captam urbem Hierosolymam, Roma ex custodia elapsus, cum filio altero Antigono in Iudeam uenisset, & Alexandrium à Gabinio dirutũ denuo muniisset, plurimi Iudei rerum nouarum studiosi ad ipsum confluxerunt, ita ut coacto exercitu octo millium lectißimorum militũ, cum Romanis confligere auderet, quibus tunc Gabinius Syriæ proconsul præerat, qui paulo ante, Alexandrum quoq; Aristobuli alterũ

filium conatum Regnum inuadere, coëgerat traditis munitionibus pacem petere.

Sed Aristobulus acerrimo prælio uictus, cum duabus cohortibus in munitissimum oppidum Macheruntem confugit, situm ad lacum Asphaltiten, paulo inferius ab eo loco, ubi Iordanis influit, in quo oppido postea Iohannes Baptista in carcere aliquandiu retentus, & tandem occisus est. Eo oppido intra biduum expugnato à Romanis militibus, captus Aristobulus & saucius ad Gabinium pertrahitur, & cum duobus filijs denuo uinctus Romam mittitur.

Pacatis in Iudea rebus, Gabinius Ptolemæum Auleten expulsum ab Alexandrinis in Regnum reduxit cum exercitu, adiutus ab Hyrcano summo Sacerdote, & Antipatro Idumeo.

Inde reuersus, in Iudea & Syria omnia tumultibus plena offendit. Nam Alexander denuo in Iudea hostili exercitu grassabatur, quem Gabinius difficili prælio superatum, Iudea expulit, occisis decem millibus Iudeorum.

Cumq; amplius biennio in prouincia Syria fuisset & Iosephi testimonio laudabiliter se gessisset, & mul-

& multas urbes superioribus bellis deiectas instaurasset, successori M. Crasso auaro exercitum tradidit, qui bellum Parthis illaturus in Syriam uenerat anno proximo post secundum suum consulatum, ante Christum natum quinquagesimo primo anno.

Hic Crassus cum cognouisset ingentem uim pecuniæ in templo Iudeorum reconditam esse, Hierosolymam profectus, & in templi adyta admissus, contra datam fidem plus quam Myriadem talentorum, hoc est, sexaginta tonnas auri inde abstulit, præter auream trabem, quæ pendebat trecentas minas, seu ut Iosephus exponit, libras Romanas 750. quæ æquant pondus quinq; nostratium Centenariorum & amplius dimidio.

Hanc auream perticam Eleazarus custos templi sponte Crasso dederat, promittenti, idq; iure iurando confirmanti, se reliquas templi opes intactas ibi relicturum, ut Pompeius ante decennium fecerat.

Sed huius periurij & sacrilegij pœnas paulo post dedit auarißimus proconsul, una cum filio Publio, præstantissimo iuuene à Parthis miserabiliter interfectus, maior sexagenario, ubi cum eo triginta millia Romanorum militum trucidati & capti sunt.

Interim Pitholaus quidam potens Iudeus ex amicis Aristobuli captiui, post eum abductum, in Iudea tumultuari cepit, et Hyrcani & Antipatri uires adfligere, Sed cum post cladem Romanorum in Parthia, Cassius Quæstor Craßi reliquias exercitus Romani, quæ fuga salutem quæsierant, in Syriam ac deinceps in Iudeam reduxisset, ac propter rerum inopiam urbes Iudaicas diriperet, magnis muneribus ab Antipatro & Hyrcano summo Sacerdote persuasus est, ut uires suas in opprimendo Pitholao experiretur, quem paulo post acie uictum cepit, & in Syriam cum exercitu Romano abduxit. Ita aliquandiu tranquillitas in Iudea fuit.

Post quinquennium, cum exarsisset bellum ciuile inter Cæsarem & Pompeium, & Iulius, deserente Italiam Pompeio, Romam uenisset, Aristobulum uinculis exoluit, & cum duabus legionibus præmisit in orientem, ut Syriam & Iudeam subigeret. Sed is in itinere á Pompeianis ueneno extinctus, diu iacuit sepultus in Melite insula, donec postea Antonius Triumuir missum eius corpus in Iudeam, mandauit regijs monumentis inferri.

Hunc exitum uitæ habuit Aristobulus post uarias fortunæ

fortunæ uices, cum bis captus & Romam missus, ibi ferme 14. annos in custodia habitus fuisset, uir turbulento ingenio, qui ambitione incitatus, tandiu cum fratre Hyrcano de regno Iudaico contendit, donec sibi quidem interitum accerseret, patriam uero in tristißimam seruitutem coniiceret, quæ postea toti genti exitio fuit.

Ei fuerunt duo filij & totidem filiæ, quarum unius tantum nomen à Iosepho proditum est.

HYRCANVS II. summus Sacerdos.

ARISTOBVLVS II.

ALEXANDRA nupta Patrueli, sapiens mulier, sed uehemens, ab Herode postea Rege occisa est.

ALEXANDER II.

ANTIGONVS II.

ALEXANDRA nupta primum Philippioni filio Ptolemæi Reguli Chalcidis, quæ regio est ad latus montis Libani. Postea pater Ptolemæus amore nurus incensus, interfecto filio Philippione, Alexandram sibi iunxit matrimonio, & postea eius fratrem

fratrem Antigonum ſtudioſe ſemper contra Herodem & Romanos adiuuit ac texit.

ALEXANDER II.

Cum patre Ariſtobulo captus à Pompeio, in itinere antequam Romam perduceretur, deceptis cuſtodibus effugit, & quinq; annis poſt, contracto exercitu Iudeam inuaſit, patruum Hyrcanum Hieroſolymis expulit, munitiones dirutas inſtaurauit, & præſidijs firmauit.

Sed ab Hyrcano & Antipatro accerſitus Gabinius Syriæ proconſul, prælio uno uictum Alexandrum, diu poſtea obſeſſum in oppido Alexandrio, ad deditionem adegit, & traditas munitiones præcipuas deſtruxit.

Flexus deinde precibus matris Alexandri, quæ ſemper mariti Ariſtobuli, & filij conatus temerarios contra Romanorum potentiam improbauerat, Alexandro commiſſorum ueniam conceßit, Sed eum tamen paulo poſt cum patre Ariſtobulo capto & fratre Antigono Romam miſit, una cum literis ad Senatum, quibus petiuit filios Ariſtobuli ad matrem remitti, id enim ſe nomine ſenatus matri pollicitum eſſe.

esse, eo quod generosa mulier Romanas partes semper fuerit tutata. Cumq́; Senatus Gabinio in ea re gratificatus esset, Alexander in Iudeam reuersus, pro summa & Gabinij & Senatus clementia, malam gratiam retulit.

Nam postquam uidit Gabinium occupatum esse in Aegypto, ut supra dictum est, instructus exercitu triginta millium, rursus Iudeam subigere conatus est, & quicquid Romanorum militum in præsidijs captarum urbium reperit, crudelibus modis trucidauit, cuius sæuiciæ post quinquennium ferè pœnas luit.

Sed Gabinius ex Aegypto reuersus in Iudeam, primum tentata pacificatione per Antipatrum, cum nihil profecisset, omnib. uiribus Romani exercitus in unum coactis, cum Alexandro prælio difficillimo conflixit, in quo Iudeorū decem millia cæsa, reliqui fuga dilapsi sunt. Alexander ipse ægre euasit, & toties frustratus iam fractus uiribus & animo, delituit aliquandiu, donec comperit, bello ciuili inter Pompeium & Cæsarem orto, patrem Aristobulum eductum ex carcere, cum duabus legionibus aduentare. Ibi cum ipse quoq́; milites conquireret, in Syria in primo conatu captus, Antiochiam ad Scipionem

nem adducitur, & Romanis accusantibus ipsius crudelitatem, qua in præsidiarios milites Romanos antea sæuierat, mandato Pompeij á Scipione, tunc Syriam obtinente, securi percussus est, paucis mensibus post extinctũ patrem Aristobulum, anno ante Christum natum 46. quo anno etiam Pompeius in Aegypto occisus est, ut supra diximus.

Huic Alexandro ex Alexandra Hyrcani secundi filia nati sunt.

ARISTOBVLVS III.	MARIANNE, quam postea duxit uxorem Herodes.

Sed de liberis Alexandri paulo post. Prius enim fratris eius, Antigoni, res & fortunam breuiter exponam.

ANTIGONVS Aristobuli secundi minor filius, cum patre bis captus & Romam missus est, semel á Pompeio, iterum á Gabinio. Sed tunc uolente senatu cum fratre Alexandro in Iudeam reuersus, apud matrem in urbe Ascalone se aliquandiu continuit. Deinde ad affinem Ptolemæum Chalcidis Regulum conceßit, cum temerarios & infœlices conatus fratris Alexandri, metu Romanorum, adiuuare non uellet.

Sed

Sed post interfectum patrem & fratrem, cum Iulius Cæsar finito bello Alexandrino in Syriam uenisset, eum supplex adijt, & de patris Aristobuli et fratris Alexandri indigno casu multa conquestus, quod ambo essent á Pompeianis crudeliter necati, cepit postea inuehi in dominationem iniustam Antipatri, qui obscuro loco & ex peregrina gente natus, regnum Iudaicum inuasisset, nec Hyrcano quicquam præter nomen summi Sacerdotis reliquisset, omniaq; pro libidine ad stabiliendam suam & filiorum potentiam administraret, idq́; ageret, ut ereptum regiæ familiæ Asmoneorum, principatum populi Iudaici, ad filios suos transferat.

Se autem unum adhuc reliquum, ad quem legitima regni successio pertineat, hæreditaria dignitate spoliatum, errare exulem, extorrem, inopem. Tandem ad preces conuersus, petijt sibi principatus Iudaici administratiõem, remoto Antipatro Idumeo, restitui.

Contra hæc Antipater Aristobulum & filios coram Cæsare accusare cepit, quod Pater contra ius fasq; Hyrcano fratri maiori Regnum per uim extorsisset, & Romanis semper hostis & infidus fuisset, Deinde patris exemplum imitatos filios, Iu-

deam

deam ac Syriam tumultibus ac sanguine repleuisse, ideoq; Aristobulum tamdiu in uinculis habitum, Alexandrum uero etiam ob crudelitatem in Romanos, capitali supplicio adfectum esse.

Deinde productis testibus, moderationem suam in gubernatione, & perpetua officia erga omnes Romanos Duces ostendit. Qua oratione permotus Iulius Cæsar, dimisso Antigono, Sacerdotium summum Hyrcano confirmauit, et Antipatrum nouo titulo ac dignitate auctum, TVTOREM totius Iudeæ constituit.

Hanc repulsam ægre ferens Antigonus, rediijt ad affinem Chalcidis Regem, ubi se continuit fere quatuor annos, donec á coniuratis Iulius Cæsar in Senatu confossus est, quo tempore cum totus orbis tumultuaretur, & Caßius, qui Syriam prouinciam inuaserat, bello aduersus Antonium implicitus, copias Romanas ex Syria abduxisset, Antigonus ab affine Ptolemæo & alijs uicinis Regulis adiutus, cum infesto exercitu in Iudeam irruptionem fecit. Sed eum Herodes, qui iam extincto patre Antipatro potens erat in Iudea, prælio fusum fugatumq; finibus regni eiecit.

Aliquot annis interiectis, cum Antonius triumuir potentiam Herodis etiam auxisset, ipsumq; ac fratrem Phaselum tetrarchas Iudeæ totius fecisset, magis indignatus Antigonus, nullo modo ferendum putauit, regnum Iudeæ prorsus ad alienos deuolui. Et ad bellum reparandum incitatorem acrem tum nactus fuerat, iuuenem ferocem, Lysaniam affinem & hospitem, ad quem morte patris Ptolemæi, cui supra dictum est Alexandram sororem Antigoni nuptam fuisse, Regnum Chalcidis deuenerat.

Obtulit autem se illis hæc machinantibus alia occasio peropportuna. Nam eo tempore Parthi ducibus Pacoro & Barzapharne, Syriæ prouinciã occupatam tenebant. Eos Lysanias muneribus ingentibus mißis, & ab Antigono promißis mille talentis, ac quingentis mulieribus nobilißimis genere ac forma, perpulit, ut Antigonum in auiti regni posseßionem reducerent.

Superius autem in Hyrcani secundi uita exposui, qua fraude Barbari Hyrcanum & Phaselum legatos ceperint, & quam impie Antigonus mutilatum præcisis auriculis Patruum, curauerit captiuum in Parthiam abduci, ut eo securius ipse sacerdotio

summo & regno potiretur. Sed talibus artibus parta potentia non potuit esse firma ac diuturna.

Nam paulo post Herodes Romam profectus, Antonio triumuiro suam fugam et calamitatem exposuit, ac de iniurijs & perfidia Antigoni conquestus, perfecit, ut ipse pro Tetrarcha Rex totius Iudeæ, consensu Augusti, Antonij, & senatus, publice renunciaretur, Antigonus uero hostis populi Romani iudicaretur.

Et cum aliquot Duces Romani ad legiones in Syriam mißi, mandata accepissent, ut pulso Antigono Herodem in poßeßionem regni Iudaici reducerent, eos tamen semper Antigonus magnis muneribus corruptos á Iudea auertit.

Tandem ab Antonio contra Parthos bellum gerente missus est Sosius cum ualido exercitu in Iudeam, ut Herodem restitueret. Quare ambo coniunctis uiribus urbem Hierosolymam aliquot mensibus obsessam tandem expugnarunt, anno septimo post interfectum Iulium Cæsarem, seu initium imperij Octauij Augusti, eodem die, quo ante annos 27. Pompeius eam ceperat.

Ibi cum

Ibi cum milites sine discrimine in omnem ætatem & sexum sæuirent, Antigonus non ferens conspectum miserrimæ cædis suorum ciuium, ultro ex templi munitione egreditur, & ad Sosij Romani ducis pedes prouolutus, supplex ueniam delictorum petit, in primis orans, ut imbelli multitudini & templo parceretur.

Sed superbus uictor contumeliose exagitans Regem supplicem, & per contemptum Antigonam subinde appellans, tandem uinctum abducit in Syriam ad Antonium reuersum à bello Parthico.

Herodes autem iam regno uniuerso potitus, cum comperisset Antonium abducturum secum Antigonum Romam ad triumphum, ueritus, ne commiseratione calamitatis Antigoni, & reputatione nobilitatis permotus Augustus uel Senatus, liberatum uinculis in Iudeam remitteret, multis rationibus ac muneribus difficulter perpulit Antonium, ut interimi curaret Antigonum.

Hoc argumento mouebatur præcipue Antonius, quod audierat, Antigono incolumi, nunquam tranquillam fore Iudeam, cum multi Iudei adeo impatienter ferrent Herodis imperium, ut ne acerbissimis

quidem tormentorum cruciatibus possent cogi, ut eum Regem suum agnoscere aut appellare uellent. Non igitur defuturos unquam seditionum ac tumultuum socios credebat, si eiusmodi ducem nacti essent Iudei.

Ita Antigonus ultimus Regum ex Asmoneis, postquam per Parthos adeptus Regnum Iudeæ, post pulsum Herodem, & abductum Patruum Hyrcanum, quinq; ferme annis id obtinuisset, occisus est à Romanis Antiochiæ, annis duodecim post patris Aristobuli & fratris Alexandri interitum, ante natum Christum saluatorem nostrum anno tricesimo quarto. Et deinceps principatus populi iudaici ab Asmoneorum sacerdotali familia, atq; adeo à gente Iudaica ablatus, penes Antipatri Idumei filium Herodem eiusq; filios ac nepotes fuit.

Sunt autem à primo anno Iudæ Maccabei, quem pater Matathias moriens ducem exulantis multitudinis constituit, usq; ad hunc annum, quo post captam Hierosolymam & interfectum Antigonum, Herodes regnare cepit, anni 130.

Antigonus nullam reliquit masculam sobolem. Sed filiam habuit, quam postea Antipater Herodis filius duxit uxorem.

Sed fratri ALEXANDRO ex filia Hyrcani Alexandra liberi fuerunt.

ARISTOBVLVS III. | MARIANNE.

ARISTOBVLVS III.

Hic Aristobulus puer quatuor annorum fuit, cum pater Alexander Antiochiæ á Romanis supplicio capitali adfectus est. postea adolescens septendecim annorum, sub initium regni Herodis, summum Sacerdotium tali occasione adeptus est:

Cum Herodes rerum potitus, reuocatum ab exilio ex Babylone Hyrcanum socerum, propter auricularum defectum non uellet sacerdotio summo præficere, ne uideretur contra legem Dei facere, quæ arcebat mutilos à ministerio templi, alium quendam obscurum hominem Iudeum ex Babylone profectum, Ananelum nomine, ad Pontificiam dignitatem euexit.

Quare Alexandra filia Hyrcani grauiter ferens, & patrem, & filium Aristobulum ab Herode præ-

feritum, & sacerdotium summum ignobili & alieno homini delatum esse, per literas ac munera conatur impellere Cleopatram, ut efficiat, Aristobulo filio sacerdotij principatum ab Antonio conferri.

Hoc cum resciuisset Herodes, & literas ab Antonio accepisset, quibus iubebatur Aristobulum ad ipsum mittere, ueritus, ne Antonius homo incontinens, excellenti forma adolescentis captus, eum non sacerdotio tantum, sed etiam regni aliqua parte dignum iudicaret, uerecunde id Antonio denegauit, causatus, nouos in regno tumultus existere posse, spe noui Regis, si Aristobulus extra Iudeam abductus esset.

Et tamen ut compesceret mulieres, Alexandram, & Mariannen, quas tantopere pro Aristobulo laborare animaduerterat, ne quid noui molirentur per Cleopatram & Antonium, conuocata concione, ultro ablatum Ananelo Sacerdotium, Aristobulo attribuit.

Sed infestus Alexandræ matri, propter illas clandestinas machinationes, eam in Regia domo contineri & custodiri diligentius præcepit, nequid simile in posterum conari posset.

Eam

Eam Regis suspicionem ac diffidentiam cum indigne ferret Alexandra, nullo modo autem ferendum putaret, se ita sollicite tanquam carceri inclusam custodiri & obseruari, per fidum ministrum suam iniquam fortunam Cleopatræ indicat, quæ iubet Alexandram cum filio ad se accedere in Aegyptum.

Hoc ut clam fieri posset, Alexandra curat parari duos loculos, quibus funera efferri solent, quorum uni se, alteri filium inclusum, mandat nocte exportari ad mare usq;, ubi parata erat nauis, delatura ipsos ad Cleopatram.

Hoc commentum suum Alexandra cum Sabbione aulico quodam communicat, quẽ sciebat esse inuisum Herodi ob suspicionem, quod credebatur conscius fuisse ueneni, quo pater Herodis Antipater fuerat necatus, ideoq; sperabat se magis fido et prompto administro Sabbione usuram esse ad perficiendam fugam.

Sed ille se occasionem nactum ratus, qua & suspicionem omnem de ueneno delere, & fidem suam regi probare posset, rem totam, ut erat composita, Herodi enunciat.

Rex diligenter inquisito & obseruato tempore,

quo loculi erant efferendi, in ipso facto deprehensos Alexandram & filium, simulata in præsens clementia acriter uerbis increpauit, sua beneficia illis exprobrauit, ueniam deniq; se delictis ipsorum concedere dixit, si posthac in officio esse uelint.

Hac tum lenitate usus est Herodes, metuens, ne si de illis supplicium sumeret, Cleopatram contra se irritaret, quæ huius consilij de fuga conscia erat. Occulte tamen occasiones puniendi hanc audaciam muliebrem quærebat, & in primis existimabat Aristobulum summum Sacerdotem, propter genus, & corporis dotes egregias carum populo, ė medio tollendum esse.

Talia ipsum meditantem, etiam alius casus inflammauit magis. Nam cum in festo Tabernaculorum Aristobulus pontificio habitu ornatus, summi Sacerdotis munus magna cum grauitate & uenustate obiret, quem propter ætatem, corporis staturam, & formam, omnia decebant magis, singulæ eius actiones, uerba, gestus, à circumstante multitudine cum lætis acclamatiõibus & applausibus excipiebantur, ut manifestus fauor & propensio totius populi erga Aristobulum, & desiderium gentilium

tilium Regum, & econtra odium præsentis regni status facile perspiceretur.

Hoc spectaculo cum Herodes ualde ureretur, occasiones querere cepit interficiendi quam celerrime Aristobuli.

Accidit autem, ut finito festo in oppido Hiericunte ab Alexandra conuiuio exciperetur, credente se iam placatum Regem habere, ubi Herodes admodum se hilarem & blandum mulieribus, & iuueni inprimis præbuit. Ac toto die uarijs lusuum generibus consumpto, circa uesperam eduxit Aristobulum cum suo comitatu in hortum regium, atq; ibi cursu & saltu calefactis corporibus, Satellites Herodis, quibus id negocium datum fuerat, Aristobulum inuitarunt ad natandum in proxima piscina. Eumq; obsecutum iuuenili facilitate, ingruente iam crepusculo, lasciuius tanquam per lusum aqua conspergunt primum, deinde aliquoties capite demersum in aquis suffocant, aliud interim agente Herode, qui ubi factum cognouit à satellitibus dolorem simulantibus, & suam culpam, dolo tamen carentem, fatentibus, seseq; ad pœnam ultro offerentibus, miro artificio coram mulieribus matre & so-

rore Aristobuli, luctum ingentem finxit, & magnificentißimo apparatu funus defuncto fecit.

Hac Herodis fraude extinctus est Aristobulus tertius, agens ætatis annum decimum octauum, cum summo Sacerdotio unum annum præfuisset, quod post ipsius interitum ab Herode rursus ad Ananelum translatum est, superstite adhuc Hyrcano secundo, qui solus ex Asmoneorum mascula sobole reliquus, ad pontificatum administrandum non erat idoneus, ut supra est dictum.

MARIANNE.

Marianne soror huius Aristobuli, filia Alexandri II. neptis Hyrcani secundi, excellens forma, et pudicicia integerrima fuit. Eam Herodes iam Rex á Romanis declaratus, paulo ante captam urbem Hierosolymam, & interfectum Antigonum duxit uxorem, repudiata Doride Idumea, ex qua iam filium habebat Antipatrum, quod diuortium Mariannæ perpetuam inuidiam apud matrem Regis Cypridem, sororem Salomen, & alias quasdam mulieres peperit.

Illud odium ipsa postea auxit, cum tumens nonnihil

nonnihil ob generis nobilitatem, utpote à Regibus orta, matrem & sororem Regis, ut alienigenas & humili loco natas superbe contemneret.

Erat etiam erga ipsum Herodem aliquanto durior & asperior, quamuis ab eo ardentissime diligeretur, aspernata fortassis eius consuetudinem, à quo sciret patri Alexandro regnum Iudeæ ereptũ, patruum Antigonum interfectum, fratrem Aristobulum tertium, innocentissimum iuuenem, crudelissime per insidias extinctum, auum quoq; Hyrcanum miserum senem conficto crimine affectati regni, ad supplicium pertractum fuisse.

Mirum igitur non est, si mulier generosa coniunctionem Herodis auersata est, qui tot ipsi causas acerbissimi luctus præbuerat, præsertim cum matris Alexandræ perpetuis querelis & conuicijs in domum Antipatri, aures iuuenculæ quotidie personarent.

Tandem cum esset de adulterio suspecta Regi facta, ut in uita Herodis exponam, & illam suspicionem Salome soror regia, & aliæ mulieres in aula, Reginæ odio incensæ, auxissent, & insuper crimen ueneficij addidissent, nec ipsa sese sollicite purgaret,

garet, freta & amore Regis, & sua innocentia, ab Herode coram amicis accusata, & illorum sententijs condemnata, interficitur, relinquens superstites ex Herode susceptos quinq; liberos, tres mares, & duas puellas, de qua stirpe postea duo Agrippæ sunt orti, penes quos Regia potestas in Iudea permansit, usq; ad excidium Hierosolymorum, cum multo ante deleta esset reliqua soboles Herodis, quam ex alijs nouem uxoribus satis numerosam reliquerat, ut dicetur suo loco.

Exposita iam tota ferme Asmoneorum familia, reliquum erat, ut ad Antipatri posteritatem describendam accederem. Sed restat adhuc de Asmoneis ALEXANDRA filia Hyrcani secundi, coniunx Alexandri secundi, de qua etsi alibi quædam dicta sunt, & adhuc dicentur in rebus Herodis, tamen uisum est hoc in loco eius mulieris tristes casus breuiter collectos simul exponere, quæ mihi uidetur longe omnium mulierum, quas legimus in maximis ærumnis uixisse, calamitosissima fuisse, partim fortuna, partim sua etiam culpa. Hoc ut intelligi poßit, cognationem illius hic adscripsi.

ALEXANDER
IAMNEVS.

HYRCANVS II. ARISTOBVLVS II.

ALEXANDRA. ALEXANDER II. ANTIGONVS.

ARISTOBVLVS III. MARIANNE.

Primum hæc ALEXANDRA puellula uidit post defunctam auiam Alexandram, quæ marito mortuo, nouem annos regnauerat, patri Hyrcano diu obsesso in templi munitione, hæreditarium Regnum & Sacerdotium, per Aristobulum fratrem ui extorqueri.

Deinde adolescentula tradita in matrimonium Alexandro patrueli, capta urbe à Pompeio, uidit restitutionem patris tristem illam, & patriæ funestam, quippe quam hæc horrenda mala comitata sunt, prophanatio templi, cædes innumeræ ciuium, direptio facultatum, deiectio murorum urbis, exactiones grauißimæ, perpetuum iugum asperrimæ dominationis Romanorum, captiuitas & abductio Aristobuli patrui, mariti Alexandri, & patruelis Antigoni,

Antigoni, ut per contumeliam ac ludibrium in triumpho Pompeij in urbem Romam introducerentur. Hæc tanta mala ingentes dolores Alexandræ attulisse nullum est dubium.

Vidit postea elapsum maritum Alexandrum ex itinere, Iudeam nouis motibus turbare, & eundem maximis cladibus fractum, & uiribus omnibus exutum rursus cum patre Aristobulo & fratre Antigono captiuum Romam mitti à Gabinio.

Et remissum in Iudeam & denuo tumultuantem, uidit rursus finibus Iudeæ exturbari, ac deinceps diu errantem, inopem & exulem, comperit indignißimo supplicij genere, Antiochiæ, iussu Pompeij necatum, & paulo ante eum, patrem Aristobulum post diuturnas custodias, ægre liberatum, ueneno sublatum esse.

Vidit postea urbem Hierosolymam à Parthis fraude occupari, Hyrcanum patrem, dolo Antigoni capi, mutilari, abduci in hostilem terram.

Ipsa in illo periculo captæ urbis, cum Herodis matre, coniuge, sorore, & alijs plurimis matronis,

ac cum

ac cum filio duodecim annorum, filia paulo maiore, ambobus propter præstantem formam ac teneram ætatem iniuriæ obnoxijs, Hierosolymis nocte egressa, uix Barbarorum insequentium crudelitatem ac libidinem, uirtute Herodis defensa, euitare potuit.

Collocata deinde cum alijs mulieribus in munitione oppidi Idumeæ Massadæ, cum summo periculo & metu Antigoni regnantis iam, ibi fuit circiter biennium, donec Herodes à Romanis regium titulũ adeptus, in Iudeam reuersus, ac potentior factus eam liberauit.

Vidit tertio urbem Hierosolymam capi, diripi, & cædibus repleri ab Herodis & Sosij militibus, captum Antigonum patruelem ad Antonium abripi, & postea supplicio adfici.

Horum omnium malorum spectatrix & particeps fuit Alexandra ante confirmatum Regnum Herodis, quo iam rerum omnium potito, respirare ipsa quoq; cepit, & iam non modo defuncta ærumnis, sed etiam beata & uideri & esse poterat, si præsenti fortuna uti moderate uoluisset.

Nam Herodes Rex iam, repudiata priore con-

iuge

iuge Doride, & remoto filio Antipatro á spe successionis, filiam Alexandræ Mariannen uxorem duxerat, eamq; ob formam & alias egregias animi dotes unice diligebat, unde ipsa quoq; mater in Regiam aulam recepta, liberaliter habebatur, & apud Regem et alios autoritate plurimum ualebat.

Erat etiam iam pater ipsius Hyrcanus in patriam ab exilio reuocatus, & colebatur ab Herode, & alijs, exemplo Regis, parentis loco.

Sed hanc fœlicitatem omnem ipsa Alexandra sua uehementia, ambitione, & impotentia euertit, sibi ac suis ingentes ærumnas & exitium deniq; accersiuit.

Nam cum ægre ferret Ananelum summo Sacerdotio ornatum esse, præterito filio Aristobulo, cui id hæreditario iure debebatur, machinari multa cepit, ut filium ad sacerdotij dignitatem eueheret, & inflammare Antonium contra Herodem per Cleopatram conata est. Qua re patefacta, hoc quidem effecit, ut filius summum Sacerdotium adipisceretur, sed ipsa postea deteriore fuit loco, & ut Regi inuisa et suspecta, diligentius est custodita.

Sed dum

Sed dum hanc tolerabilem adhuc regis seueritatem, & restrictiorem usum libertatis ferre non posset, moliri occulte fugam ad Cleopatram cepit, ut supra exposui, et in eo conatu cum filio deprehensa animaduertit se immedicabili odio Herodis oneratam esse. Paulo post, acerbissimo luctu, quem ex filij Aristobuli tristi interitu accepit, admonita est, quanto satius fuisset, mediocrem iniuriam ferendo uincere, quam natura sæuum Herodis animum impatientia irritare.

Cumq; de interfecto filio accusatum Herodem apud Antonium in periculum adduxisset, aliud nihil est consecuta, quam ut ipsa in maiore esset Regis odio, et contemptu, ac filia quoq; Marianne regi alioqui carissima, remissius, & non sine suspicione, propter matris astutiam, amaretur, et Hyrcanus pater minus officiose, ut consueuerat, á rege coleretur et ornaretur.

Ex qua ipsa re causam cepit Alexandra, incitandi patrem quoq; aduersus Herodem, & hortandi, ut ad Malichum regem Arabum confugeret, eo tempore, cum post Actiacam pugnam propter metum Augusti uictoris Rex in summo uersabatur pe-

riculo, Existimabat enim callida mulier, Augustum Herodi infestum propter amicitiam Antonij, facile adduci posse, ut ereptum Herodi Idumeo regnum Iudeæ, iustis hæredibus ex domo Asmoneorum restitueret.

Hoc infœlicissimum consilium per literas interceptas patefactũ, Hyrcano seni octogenario capitale supplicium, et filiæ Alexandræ summum luctum attulit, si modo sensum adhuc doloris aliquem potuit habere pectus tot ictibus ante quasi contusum, & in callum induratum, post amissos tot coniunctissimos homines, eosq; tam indignis mortis generibus, cum maritus Alexander & eiusdem frater Antigonus, ambo reges, securi percussi essent, Patruus Aristobulus idemq; socer ueneno necatus, filius unicus Aristobulus nefaria fraude Herodis sublatus, pater Hyrcanus in ultimo uitæ limine ignominioso supplicio extinctus.

Solam habebat adhuc superstitem filiam Mariannen nuptam regi, quæ matri solatio in tanta mœsticia esse aliquomodo poterat.

Sed eam quoq; mulier uehemens, & iam furens

rens regis odio, perpetuis conuicijs in domum Idumeam, & querelis de regis immani sæuicia, reddidit morosiorem, & alieniore animo erga maritum, unde postea accedente suspicione adulterij, & falso crimine ueneni parati contra maritum, facilius impulsus est Herodes, ut Mariannen carißimam antea, & matrem quinq; liberorum, supplicio affici pateretur.

Neq; hac etiam ingenti calamitate interfectæ indigne filiæ uinci potuit Alexandra, ut tot cladibus admonita, suos conatus infœlices eße sibi et alijs, moderate ferret priores ac præsentes ærumnas, quarum ipsa fere semper aliquas causas præbuerat, nec noua mala, impatientia doloris, attraheret.

Nam postquam, interfecta Marianne, Doris Antipatri mater, prius repudio dimissa, post sexennium fere, reuocata est in aulam et thorum regium, et Antipater filius uisus est, exclusis filijs Mariannæ, ad succeßionem a rege foueri & instrui, Alexandra uidens se solam iam reliquam de Asmoneorum regia familia, quæ nepotũ curam suscipere debeat, extrema experiri maluit, quam supra tam crebras causas luctus, etiam uiuere in summo contemptu Doridis,

Salomes & Antipatri regnaturi post patrem, & uidere nepotibus suis, regnanti Herodi ex Regina Marianne natis, anteferri Antipatrum, ex Doride Idumea ignobili, adhuc priuato Herodi genitum.

Quare ad suum institutũ perficiendum occasionem se diuinitus accepisse rata, cum Herodes mœrore animi & desiderio interfectæ coniugis Mariannæ lætaliter ægrotans decumberet in urbe Samaria, cohortes regias promissis ingentibus sollicitare cepit ad defectionem.

Erant autem duo præsidia, unum urbis, alterum templi, quæ si quis in sua potestate haberet, facile potiri rebus omnibus poterat.

Eos milites per internuncios fidos hortatur Alexandra, ut cum Regis uita in dubio sit, uel desperata potius, ante quam Antipater aut etiam alius quispiam regnum inuadat, Regiam occupent, et filijs Herodis ex Regina Marianne, iustiorib. hæredibus, successionem regni saluam tueantur, donec ætas eorum ad gubernationem sit futura idonea.

Sed milites re inter ipsos deliberata his periculosis

riculosis et intempestiuis consilijs audacis fœminæ, quam sciebant esse inuisam regi, nequaquam obtemperandum esse censuerunt, cum etiam Herodis sæuiciam metuerent, regnandi cupidißimi, & acerrime uindicare soliti conatus eorum, quos regni adfectati suspectos habebat, id quod postea filiorum supplicijs satis declarauit.

Vnus autem ex militibus, gratiam apud Regem huius muliebris consilij indicio iniri posse arbitratus, propere Samariam equo uectus, machinationem socrus omnem Regi ægrotanti aperuit.

Ibi demum Herodes etiam mœroris et morbi impatientia morosior, uehementi ira accensus, statim mandata in urbem Hierosolymam mittit, de occidenda è uestigio socru insidiatrice.

Hoc tragico exitu Alexandra uitam suam clausit, plenam maximarum ærumnarum, dum semper impatientia præsentis fortunæ, nouam ipsa sibi calamitatem, aliam super aliam cumulando, gigneret, mulier sapiens alioqui, & grauis, sed nimium uehemens, & ambitioni, odio, ac iræ, pessimis, ut ille ait, consultoribus, ultra modum indulgens. Fuit sexage-

ALEXANDRA HYRCANI

filia maior cum interfecta est, et cū hac Alexandra familia Asmoneorum extincta est, nisi quantum ex Marianne hæredum reliquum mansit, ex Idumeo patre prognatorum.

Hæc de Asmoneorum gente clarissima dicta sufficiant, quæ in defensione optimæ causæ, ab exiguis initijs progressa, ad maximam dignitatem & gloriam, diuina ope, & sua industria, cuecta fuerat. Postea ubi omissa principali causa, potentiam & opes more Ethnicorum Regum quærere cepit, & multa non necessaria mouere, partim freta suis uiribus, partim alienis præsidijs nixa, euenit, ut intestinis primum discordijs distracta, deinde etiam peregrino hoste introducto paulatim accisa, alienis totam iudaici regni possessionem cedere cogeretur, cum principatum populi à Iuda Maccabeo usq; ad initium regni Herodis annis 130, Sacerdotiū summum annis 117. tenuisset.

Nunc ad tertiæ familiæ descriptionem transibimus, quæ Antipatri Idumei posteritatem continet, apud quam utcunq; hæsit Principatus Iudeæ, sine Sacerdotio summo, (quod nefas erat ab alienigenis occupari) usq; ad euersionem urbis & templi Hierosolymitani.

Nam

Nam Sacerdotium summum penes alios fuit, necessario Iudeos, sed ex diuersis & obscuris familijs, ab Herode, successoribus, & Romanis ducibus ad id per gratiam, aut propter munera euectos.

Eorum successionem describere nec facile mihi fuit, nec operæprecium esse existimaui, cum exiguam posthac potentiam habuerint Pontifices, & rerum summa gubernatio penes Principes, & Duces Romanos fuerit.

Neglexit etiam Iosephus enumerationem summorum Sacerdotum accuratam, hoc unum indicans, á regno Herodis usq; ad excidium gentis Iudaicæ uno minus triginta summos Sacerdotes præfuisse, cum tamen illud interuallum paulo sit longius centum annis. Nam ab initio regni Herodis usq; ad secundum annum imperij Vespasiani, colliguntur anni 106.

In prima autem familia, quæ à IESV orta, Sacerdotium habuit á reditu ex Babylone usq; ad Antiochi Epiphanis tempora, quindecim tantum Pontifices numerantur, cum illud interuallum sit triplo maius hoc postremo. Nam ut alibi indicatum est,

a primo anno Cyri usq; ad Alcimum, inueniuntur anni circiter 376. Causa autem huius multitudinis sacerdotum fuerunt crebræ mutationes, cum alius alium nunc gratia aut largitionibus superatum amoueret, nunc ui ac hostili more excuteret.

TERTIA



TERTIA FAMILIA: POSTERITAS ANTIPATRI

Idumei ex Ascalone, quæ ereptum Asmoneis summum Sacerdotium ad alienos pro arbitrio transtulit, & Principatum populi Iudaici tenuit, usq; ad Hierosolymorum uastationem sub Vespasiano.



Idumea extrema pars terræ Chanaan, Aegypto & Arabiæ contermina, claudit latus meridionale Iudeæ, & est contigua ei parti, quam tribus Iuda sorte adepta fuit. Eam ab antiquo incoluerũt posteri Esau fratris Iacob, qui & Edom, hoc est, rufus dictus fuit. Vnde Idumei appellati, amissa uera doctrina Dei, & pijs cultibus diuinitus mandatis, cum uicinis gentibus Idola colere ceperunt.

Hos primum subegit Rex Dauid, & uectigales Iudaicis Regibus fecit.

Post centum quinquaginta annos fere, sub Ioram Rege Iuda, filio Iosaphat, rursus defecerunt à Iudeis, distractis iam in duo Regna. Et quanquam sequentes Reges aliquoties conati sunt eos redigere in pristinam seruitutem, tamen armis libertatem suam tutati sunt, donec Iuda abduceretur in exilium Babylonicum, ibi multas urbes quoq; Iudeis ademerunt, quas postea edicto Darij restituere Iudeis reuersis ab exilio, coacti sunt.


Postea Iohannes Hyrcanus Simonis Asmonei filius, bello difficili superatos, adegit ad eiusdem doctrinæ & cultuum professionem, mandata eis circumcisione.


cumcisione. Vnde postea commercia Idumeis liberiora cum Iudeis esse cœperunt, ita ut in militiam et aulas Regum Iudaicorum adsciscerentur.

Ex hac Idumeorum gente ortus fuit Antipater, cuius filius Herodes postea adeptus Regnum Iudaicum, ut id uideretur non ut alienigena poßidere, uoluit pro Iudeo haberi, eo quod Idumei sub Iohanne Hyrcano, ut dixi, acceperant circumcisionem.

Traditur autem à Iosepho hæc familiæ series:

ANTIPAS
Pater.





ANTIPAS.

Antipas Ascalonites pater Antipatri, ab Alexandro Iamneo, præfecturam patriæ Idumeæ accepit, quam cum sub Alexandra quoq; aliquandiu tenuisset, magnas opes cumulauit, & autoritatem in illa regione præcipuam adeptus est.

ANTIPATER.

Patri mortuo in præfectura Idumeæ successit, in qua non modo populariũ studia comparauit, & uicinorum Regum ac ciuitatum amicitijs suas opes auxit et muniuit, sed etiam Hyrcanum II. summum Sacerdotem iam á matre regnante constitutum, singularibus officijs sibi deuinxit, cuius beneuolentiam sperabat sibi ad altiora quoq; nitentem, profuturam esse, cum crederet ipsum defuncta matre etiam regnum iure hæreditatis accepturum esse, ut natu maiorem. Quare officiose cum semper coluit, neglecto fratre, quæ res illi infensum reddidit Aristobulum, quod postea res declarauit.

Nam cum Aristobulus post matris obitum, uictum acie Hyrcanum fratrem, & postea aliquandiu in templo obsessum, coegisset regno se & summo sacerdotio abdicare, etiam Antipatro præfecturam

Idumeæ

Idumeæ ademit, cuius plurimus fuerat usus in illo bello pro Hyrcano.

Ob hanc iniuriam Antipater odio in Aristobulum maiore concepto, cum ui ulcisci se non posset, optimates Iudeorum clandestinis criminationibus contra Aristobulum Regem incitat. Inprimis uero Hyrcanum alioqui natura moderatum & lentum, uarie tentat, nunc terrendo, nunc in spem regni erigendo, Fratrem Aristobulum sæuo ingenio præditum, occasiones quærere dictitans, per insidias aut aperta ui opprimendi fratrem, ut regnum scelere partum, securius teneat, quos conatus Aristobuli se certis quibusdam indicijs iam comperisse, uel uere, uel permouendi Hyrcani causa, adfirmabat. Modum etiam ac uiam ostendebat, qua Hyrcanus in Regnum sibi debitum restituatur, si ambo ad Aretam Regem Arabiæ profugiant, cum eo Rege sibi & amicitiam & hospitium antiquum esse, nec dubitare se, quin is amborum uoluntati sit obsecuturus.

His sermonibus uincitur tandem animus Hyrcani, iniuria fratris etiam ante exulceratus, ut cum Antipatro & quibusdam alijs, quibus Aristobuli dominatio inuisa erat, clam ad Aretam in urbem

Petram

petram proficisceretur, ubi regi Aretæ supplex factus, implorabat opem ac defensionem aduersus impium & crudelem fratrem, á quo non solum contra ius fasq; sacerdotio summo sit priuatus, quo iam erat nouem annis uiuente matre functus, et regno exutus, quod iure gentium ad natu maiorem pertineat, sed etiam quotidie insidijs petatur. Promittit quoq; reductus in regnum, restitutionem decem urbium, quas pater Alexander Iamneus Arabico regno ademerat.

Rex Aretas Hyrcani precibus & promissis, magis tamen Antipatri suasionibus permotus, cum exercitu quinquaginta millium Iudeam inuadit, cui egressus obuiam Aristobulus, præcipue uirtute Antipatri in fugam uertitur, desertus tandem á suis, quorum magna pars ad Hyrcanum transibat, & in urbem celeriter illapsus, una cum Sacerdotibus et paucis ciuibus intra templi munitionem se abdit, & ad obsidionem res necessarias parat, prius celerrime missis legatis ad Scaurum Pompeij legatum in Syria tunc subsistentem, qui auxilium eius implorent contra Arabes, eiq; quadringenta talenta, hoc est 240. Millia coronatorum promittant.

Cumq;

Cumq; Aretas cum exercitu subsecutus ad urbem accederet, templum obsidione cincturus, ciues ultro se et urbem Hyrcano dediderunt. Aliqui tamen Iudei, quibus hæc fratrum contentio de regni possessione, uidebatur exitio genti futura, relictis facultatibus, in Aegyptum commigrarunt.

Reliqui ciues cum Arabibus coniuncti, obsidionem adiuuabant, et inclusos sacerdotes acrius urgebant, quam ipsi hostes, supra crudelitatem etiam imposturis utentes.

Nam quendam sanctum uirum Onian, qui olim in maximo æstu, et metu sterilitatis, precibus ad Deum suis pluuiam largam impetrauerat, in præsenti autem bello intestino se abdiderat, protractum ex latebris, cogunt imprecationibus diris deuouere circumsessos, ut ad deditionem compellantur. Sed ille cum orasset clara uoce Deum, ut neq; inclusos sacerdotes contra populum suum, nec obsidentem populum contra Sacerdotes suos orantem, exaudiret, á Iudeis obrutus lapidibus interimitur.

Et cum festum Pascatis aduenisset, quo plurimis uictimis opus erat, Sacerdotes petiuerunt sibi pecudes

pecudes ad solennia sacrificia necessarias præberi intra templum, pacti in capita mille drachmas, hoc est, centum Coronatos. Iudei postquam grandem illam pecuniam de muro demissam à Sacerdotibus acceperant, nihil fecerunt eorum, quæ promiserant, & risu credulitatem sacerdotum exagitarunt.

Hæc scelera Deus ultus est, immisso acri uento frugibus iam tum maturescentibus, quibus corruptis, fames extitit tanta, ut modius tritici undecuplo carius uenderetur, quam consueuerat, uidelicet undecim drachmis, cum ante id tempus mediocri annona, modius una drachma & minoris, emptus esset.

Sed cum obsessi commeatus penuria laborare cepissent, nec quicquam amplius deditionem templi moraretur, nisi expectatum Scauri responsum, cuius spe Aristobulus sacerdotes confirmabat ad perferendas difficultates obsidionis, opportune accidit, ut Scaurus missis legatis mandaret Aretæ regi, nisi uellet populum Romanum hostem experiri, ut copias suas ex Iudea domum reduceret.

Huic edicto eo facilius paruit Aretas, quod iam magna commeatus inopia exercitus premebatur.

Ita re

ita re infecta Hyrcanus & Antipater cum rege in Arabiam redeunt.

Paulo post cum Pompeius ipse, in Syriam esset ex Armenia reuersus, Antipater incitauit multos potentißimos Iudeorum, ut Aristobulum accusarent, ipse tanquam legatus ab Hyrcano ad Pompeium profectus, Hyrcani causam egit contra Aristobulũ, eumq; ita conciliauit Pompeio, ut capta urbe sacerdotium Hyrcano sine regno restitueretur, à quo tempore Antipater potens esse cepit, omnia fere solus gubernans, Hyrcano quietis studioso, facile id permittente.

Inprimis autem Romanos duces quibuscunq; poterat officijs, colebat, & in eorum amicitias sese insinuabat, impulso Hyrcano ad munerum liberalitatem, quorum omnem gratiam & fructum Antipater percipiebat.

Itaq; primum Scaurum cum duabus legionibus in Iudea relictum, et iußu Pompeij contra Arabes bellum gerentem, sedulo adiuuit commeatu. Postea ab eodem legatus ad Aretam regem mißus, interpres pacis fuit, propter ueterem amicitiam cum re-

ge, ac persuasit Scauro, ut acceptis ab Arabum rege trecentis talentis, hoc est, 150. Millibus coronatorum, exercitum ex Arabiæ finibus abduceret.

Adiuuit postea et Gabinium contra Alexandrum Aristobuli filium, & in primis in restitutione Regis Ptolemæi Auletæ, ubi Gabinio transitum ex Iudea per Idumeam in Aegyptum patefecit.

Iisdem artibus deinceps & Craßum diuitem, et eius quæstorem Caßium a bello Parthico reuersum mitigauit, nequid durius molirentur contra Hyrcanum, qui subinde ab Aristobuli filijs, & alijs ex eadem factione potentib. iudeis, apud duces Romanos accusabatur.

Præcipue tamen suam potentiam stabiliuit per C. Iulium Cæsarem, cui egregiam operam nauauerat in bello Alexandrino, adductis ei tribus millibus Iudeorum, & ad societatem belli attractis Arabibus, Idumeis, & Iudeis in Aegypto habitantibus. Cumq; Mithridates Pergamenus, qui copias maximas ex Cilicia & Syria Cæsari adducebat, arceretur Aegypto, Antipater eum expugnato Pelusio perduxit ad Cæsarem, et in itinere prælianti, ac cum

suo

ſuo cornu cedere hoſti coactum, ſeruauit. Pro his meritis poſt confectum Alexandrinum bellum Iulius Cæſar Hyrcano ſacerdotium ſummum confirmauit, reſtitutionemq; murorum permiſit, et Antipatrum TVTOREM totius Iudeæ conſtituit, ac præterea ciuitate Romana, & perpetua immunitate donatum in Iudeam remiſit.

Hac dignitate ornatus Antipater, filios quoq; euehere cepit, ex quibus Phaſelum natu maximum Hieroſolymorum ciuitati & adiacentibus locis præfecit, cum Hyrcanum in gubernatione uideret negligentem & remiſſum. Herodem uero proximum ætate, ſed iuuenem adhuc, Galileæ præſidem fecit, qui ambo cum laudabiliter commiſſas partes adminiſtrarent, patrem clariorem ubiq; reddiderunt; et multorum potentum ſtudia munificentia ſua adepti ſunt, Vnde magis ſuſpectus Iudeis quibuſdam Antipater eſſe cepit, cernentibus eum Hyrcani ignauiam conſulto alere fouereq;, ut filij creſcere poſſent, et opibus eiuſdem ac reditibus, tanquam ſuis, abuti ad largitiones, quibus ſibi amicos Romanos efficeret.

Quare aliqui cordatiores Iudei non ueriti ſunt Hyrcanum palam increpare ob negligentiam &

facilitatem, qui rerum omnium administrationem Antipatro Idumeo, eiusq; filijs prope adhuc pueris permitteret, qui iam tantas opes comparassent, seq; ita Romanorum amicitia armassent, ut toti genti terribiles esse inciperent. Videret igitur, quo tandem potentia illa Idumeorum sit processura. Facere eum iniuste & imprudenter, quod cum habeat multos uirtute & peritia rei militaris præstantes Iudeos, illis repulsis à societate gubernationis, plus spei ac fiduciæ in alieni hominis defensione poneret, qui non Iudaicæ gentis commodū quæreret, sed hoc ageret, ut filijs regnum Iudeæ relinquat.

Hæc etsi non nihil mouebant Hyrcanum, qui et ipse potentiam Antipatri formidabat, tamen cum beneficiorum ipsius recordaretur, & fidei, qua semper in summis periculis esset ab Antipatro adiutus, et metueret Aristobulum, eiusq; filios, contra quos necessarium existimabat habere aliquem potentem defensorem, respondit sibi integrum non esse, Antipatrum ab illa rerum gubernatione remouere, quam esset Romanorum autoritate consecutus, quos offendere neq; sibi tutum fore, neq; regioni tolerabile.

Cum igitur accusatores Antipatri nihil in Hyrcani

cani lenta & timida natura ponendũ existimarent, ipsi de tollendo Antipatro cogitare cœperunt, de quibus unus, cæteros audacia & opibus antecellens, Malichus nomine, insidijs Antipatrum opprimere tentauit.

Sed præmonitus Antipater, trans Iordanem secessit, et comparato ibi exercitu, adiutus ab Areta rege amico, eam iniuriam ulcisci uoluit. Sed placatus est per Hyrcanum, cum Malichus iureiurando se de insidiarum conatu purgasset.

Hoc accidit statim post occisum à coniuratis Iulium Cæsarem, quo tempore Caßius autor et caput coniurationis, in Syriam, atq; inde in Iudeam profectus, duriter pecunias a ciuitatibus exegit, ita ut quarundam Magistratus cum familijs uenderet, et quatuor maximas urbes Iudeæ diriperet, uenundatis omnibus ciuibus, eo quod tantum, quantum flagitauerat insatiabilis bellua, dare recusauerant.

Ibi cum à Iudeis septingenta talenta posceret, quæ summa æquat nostræ monetæ ferme quatuor tonnas auri, et præterea 20 millia Coronatorum, Antipater exactionem partim filijs mandauit, partim potentioribus Iudeis, per quos cum celeriter confe-

cta tota summa esset, magnam apud Romanos gratiam filij Antipatri inierunt, ita ut iam tum Herodi, qui iniunctam pecuniam & celerius et ampliore summa ad exercitum in Syriam ipse detulerat, Cassius regnum Iudeæ promitteret, si bellum cum Antonio & Octauio, quod instabat, fœliciter esset confectum. In præsentia autem Herodi Syriam prouinciam, & classis custodiam commendat.

Ibi Malichus non diutius ferendam hanc in immensum crescentem potentiam Antipatri ratus, eum cœnantem cum Hyrcano curat per pincernam summi sacerdotis Hyrcani, pecunia corruptum, ueneno extingui, á quo ipse bis de salute periclitans erat seruatus.

Hoc modo Antipater, anno proximo post interfectum Iulium Cæsarem, interemptus est, uir sapientia & uirtute præstans, non ignorante, ut quidam existimant, aut certe non inuito Hyrcano, quem ipse ad sacerdotij summi dignitatem reduci per Pompeium fecerat, & postea semper contra aduersariorum uim texerat annis ferme uiginti duobus.

Vna autem re ad extremum offenderat Hyrcanum, quod aliquanto durius á sene alioqui natura et

ra et tunc ætate magis tenaci, pecuniam excgerat, ut in præsenti periculo, Caßij cupiditatem aliquo modo explere posset.

Ob hoc erratũ Hyrcanus non iniquo tulit animo benefactorem suum necari. Fit n. plerunq;, ut diu multumq; beneficijs adfecti homines, et ad extremum leuiter offensi, non modo omnem priorum meritorum memoriam abijciant, uerum etiam insuper lædere benefactores suos non uereantur, ut elegantibus uersiculis Philippus Melanthon præceptor noster, parentis loco colendus, sententiam germanici prouerbij de eiusmodi ingratis hominibus expreßit, quos hic adscribendos esse duxi:

Sunt homines, humeris quos siquis gestet ad urbem
Ausoniam, domiti quæ caput orbis erat,
Nec tamen ad portam placide deponat eosdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

Sed paulo post huius ingratitudinis pœnas persoluit Hyrcanus. Nam anno insequenti introductis in Iudeam Parthis per Antigonũ, captus, & in hostilem terram abductus, sero sensit, quanto præsidio morte Antipatri orbatus fuißet, & suam stulticiam frustra deplorauit, qui Malicho et similibus incitatoribus contra Antipatrum auscultaßet.

DE FILIIS ANTI-PATRI.

PHASELVS natu maximus.

Cum à patre Hierosolymis & uicinis locis esset præfectus, ut Hyrcanum ignauum, & ætate quoq; iam minus ad gubernationem idoneum adiuuaret, sex annos illi muneri cum laude præfuit, adhuc uiuente patre, eoq; sublato, magnum motum Hierosolymis sua uirtute compescuit, quando Felix quidam à Caßio cum copijs Hierosolymis relictus, ad Phaselum opprimendum, pecunijs quorundam Iudeorum fuit impulsus, qui à Phaselo uictus, et aliquandiu in uinculis habitus, tandem certis conditionibus dimissus est.

Vidit postea cum uoluptate, pœnas sceleris luere Malichum patris Antipatri interfectorem, armis etiam conatum inuadere principatum Iudeæ. Sed arte Herodis per milites Caßij occisus est.

Victo Caßio Antonius in Syriam profectus, Phaselum & Herodem fratres grauiter accusatos à Iudeis, Tetrarchas totius Iudeæ facit. Sed eam dignitatem non diu tenere potuit Phaselus. Nam anno qui secutus est patris mortem, occupata urbe à

Parthis

Parthis & Antigono, cum Hyrcano fraude captus, sibi ipse mortem in uinculis consciuit, ut supra retuli in uita Hyrcani secundi.

PHASELVS reliquit filium	HERODES rex. MARIANNE Asmo:

PHASELVM cui nupta fuit SALOME.
huic nati sunt ex Salome.

ANTIPATER de hoc nihil legitur.	HERODES.	ALEXANDER	ALEXANDRA nupta Iudeo cuidam ex Cypro fuit sterilis.	CYPRIS postea iuncta AGRIPPAE regi.
	mortui in adolescentia sine liberis.			

IOSIPPVS

Tertius Antipatri filius.

Phaselum sequitur ætate Herodes, Sed commodius iudico prius fratres eius recensere, quorum res minus sunt celebres.

Tertius igitur Antipatri filius Iosippus, à patre principatũ Iudeæ adepto, Idumeæ præfectus est. Hic post Antipatri mortem, fratris Herodis, ab Antigono et Parthis in exilium pulsi, familiam & res in urbe Massada collocatas, aduersus Antigonum regem fortiter tutatus est, cum tolerasset difficilimam obsidionem, donec à fratre Herode ex Italia reuerso liberatus est, qui iam rex erat ab Octauio Augusto & Antonio declaratus.

Postea cum frater Herodes ad Antonium obsidentem urbem Samosata iuxta Euphraten proficisceretur, Iosippo cura exercitus commissa est. Is dum incautius cum sex cohortibus frumentatum excurrit, in angustijs montiũ ad Hiericuntem oppressus, ab Antigoni militibus cum omnibus suis occiditur, quadriennio fere post mortem patris Antipatri.

Caput interfecti præcisum, et per ludibrium circumgestatum frater Pheroras ab Antigono redemit quinquaginta talentis, hoc est, 30 Millibus coronatorum.

Filius ei fuit cognominis Iosippus, cui patruus Herodes matrimonio iunxit filiam suam Olympiadem, sororem Archelai, quæ peperit Mariannem nuptam deinde Herodi Chalcidis regulo.

Antipater

ANTIPATER

IOSIPPVS Idumeæ præses. | HERODES Rex Iudeæ. | coniunx Marthaca Samaritana.

IOSIPPVS. coniunx Olympias.

MARIANNE nupta HERODI filio Aristobuli, regi Chalcidis.

PHERORAS
minimus filiorum Antipatri.

Hic adolescens adhuc, cum Iosippus interficeretur, solus reliquus, fratrem Herodem cum Antigono difficile bellum gerentem strenue adiuuit, et precibus Herodis postea ab Augusto Cæsare Tetrarcha factus, & honorifice habitus, malam gratiam fratri retulit. Nam cum ei impulsor fuisset ad occidendam coniugem Mariannen, & duos filios Alexandrum & Aristobulum, tandem ipse cum Antipatro filio de interficiendo Herode fratre conspirauit. Sed subita morte præuentus, pœnam effugit.

Obijt

Obijt autem paucis annis antè fratris Herodis mortem, Reliquit duos filios, quibus Augustus matrimonio iunxit Herodis defuncti duas filias, Rhoxanen & Salomen, addita dote singulis 25 Millium Coron: Habuit & filiam nuptam Antipatri filio, nepoti Herodis regis.

SALOME FILIA ANTIPATRI, Soror Herodis regis Iudeæ.

Primum nupta fuit Iosippo cuidam, qui custos additus Mariannæ coniugi Herodis, secreta quædam enunciarat, eamq; ob causam á rege interfectus est.

Deinde nupsit Costabaro, præfecto Idumeæ, á quo contra legem Mosi facto diuortio recessit, Cum maritis quidem dimittere coniuges ob grauem aliquam causam liceret, sed non erat liberum uxorib. maritos deserere. Sed Salome usa hac licentia fiducia fraternæ potentiæ, etiam tristißimi interitus postea Costabaro causa fuit.

Postremo inuita tradita est ab Herode Alexæ cuidam, cum appeteret furenter nuptias potentis Arabis cuiusdam Sylei, inimici Herodis, & circumcisionem accipere recusantis.

Hæc

Hæc Salome fuit uere in aula fratris furia, & fax intestinarum discordiarum, ex quibus cædes plurimæ extiterunt.

Nam odio Mariannæ Asmoneæ ardens, á qua fuerat contempta, ut ignobilis, non desijt fratrem confictis de adulterio & ueneficio criminibus inflammare, donec dilectißimam suam coniugem occideret Herodes.

Postea uindictam metuens, etiam contra filios Mariannæ, Alexandrum & Aristobulum, incitare patrem cepit, usa ad eam rem ope Antipatri filij Herodis, metuentis illos iuuenes sibi in succeßione regni anteferri. Ac perfecit tandem, ut accusatos affectati regni, et parati ueneni, ac condemnatos, præstantißimos iuuenes pater Herodes laqueo strangulari mandaret.

Antipatrum quoq; socium sceleris sui, inuisum patri clandestinis delationibus reddidit, qui reuera illas struebat patri insidias, quas antea falso innocentißimis suis fratribus, Mariannæ filijs, obiecerat, donec ille quoq; à patre occisus est.

Ipsa uero tantæ crudelitatis administra, fratri Herodi superstes, testamento illius adepta est urbes opulentissimas tres, Iamniam, Azotum, & Phaselidem, ac præterea argenti signati quinquaginta Myriades, hoc est, 50 Millia Coron: quæ cum esset per literas familiaris Liuiæ coniugi Augusti, quam Iosephus semper Iuliam uocat, ab Augusto etiam dono accepit arcem regiam in urbe Ascalone. Percepit autem ex illis ciuitatibus sexaginta talenta, hoc est, 36 Millia Coronatorum annui reditus.

Cumq; duodecim annos post fratris Herodis mortem uixisset, moriens anno proximo ante Augusti obitum, Liuiæ coniugi Augusti urbes, quas tenuerat, testamento legauit.

Reliquit filium Antipatrum, & filiam præstanti forma Berenicen, de quibus hos habuit nepotes.

Costabarus

Costabarus praefectus Idumeae. — SALOME soror Herodis Regis.

Cypris filia Herodis regis ex Marianne Asmonea.

Antipater habuit amitinam.

Berenice nupta damitino Aristobulo.

Aristobulus filius Herodis regis ex Asmonea.

Cypris

Alexas priuignus Salomae, sororis Herodis, ex tertio marito.

AGRIPPA Rex Iudeae.

HERODES Rex Chalcidis.

Aristobulus.

HERODIAS cuius fit mentio in Euangelica Historia.

Marianne.

Cypris.

AGRIPPA posterior, successit patruo Herodi in regno Chalcidis.

Herodes

HERODES, SECVNDVS ANTIPAtri filius, quem MAGNVM aliqui uocant, primus Rex Iudeæ ex alia gente.

Herodes iuuenis adhuc á patre Antipatro Galileæ præses constituitur paulo post, quam á Iulio Cæsare in Aegypto debellatum fuerat, Vbi mox suæ industriæ et uirtutis specimen edidit, fuso & interfecto Ezechia Iudeo, cum manu latrunculorum Syriam uastante, unde Syrorum commendatione Sexto Cæsari carus efficitur, qui tunc Syriam prouinciam administrabat.

Accidit autem, ut ab æmulis Antipatri, Hyrcanus summus sacerdos flagitatus, diem Herodi inuitus diceret, propter occisos illos Iudeos in Syria captos, non quæsita aut expectata sententia summi iudicij, quod tum Sanhedrin uocabatur, á uoce græca, ut existimo συνέδριον, constabatq; ex 72 iudicibus, quos septuaginta seniores appellabant, et Philo scribit, ex sola posteritate Dauidis in id iudices lectos fuisse ante Herodis regnum.

Herodes á patre per literas admonitus, mediocri præsidio stipatus ad diem iudicij ascendit Hierosolymam, cum commendatione Sexti Cæsaris, ubi cum Hyrcanus

Hyrcanus animaduerteret, iudices ab aduersarijs Antipatri incensos, durius pronunciaturos esse, gratificans amico Antipatro, clam Herodem monet, ut urbe excedat, ante quam sententijs iudicum damnatus, arripiatur ad supplicium.

Redit igitur in Syriam iuuenis impatienter ferens contumeliam iudicum, ut ipse æstimabat, et suorum ciuium iniquitatem Sexto Cæsari exponit, á quo cum partem exercitus Romani, & administrationem inferioris Syriæ accepisset, ulcisci Synedrij iniuriam constituit. Quare cum exercitu infesto contra Hierosolymam ascendens ægre á patre et fratre Phaselo progreßis obuiam auertitur, ut exercitum in Syriam reducat, non deposito tamen odio Synedrij, quod deinde regno potitus uniuersum sustulit.

Post Iulij Cæsaris interitum exiguo interuallo Malichum interfectorem patris Antipatri, ope Cassianorum militum per insidias occidit.

Deinde Antigonum Aristobuli filium, qui Iudeæ partem recuperauerat, uictum prælio rursus Iudea expulit.

Post uictum ad Philippos Casium & Brutum, cum Antonius ad Syriam accederet, legati ex Iudea in Bithyniam usq; obuiam profecti Antonio, Herodem et Phaselum accusant, quod pulsis legitimis regni hæredibus, ipsi gubernationem uniuersam Iudeæ per uim ad se traherent. Cum autem eodem etiam Herodes maxima Antonio munera ferens, accessisset, ut se purgaret, benigne ab Antonio susceptus est propter amicitiam, quæ Antonio cũ Antipatro patre Herodis fuerat, quando legatus Gabinij in Syria & Iudea militauerat.

Quare non modo accusationes Iudeorum non admisit Antonius, uerum etiam Phaselum ac Herodem fratres, Tetrarchas Iudeæ fecit, ac postea ex Iudea alios super alios maiore numero, et tandem ad mille legatos simul missos, ut Herodis dominationem deprecarentur, etiam uinculis coercuit, deniq; non quiescentes quosdam morte mulctauit.

Descendit et Hyrcanus ad Antonium in Syriam, iam affinitate iunctus Herodi, cui desponderat suam neptem Mariannen filiam Alexandri & Alexandræ, qui honorifice acceptus ab Antonio, confirmatur in possessione summi sacerdotij, & impetrat, ut ciuitates et corpora, quæ a Casio in seruitutem fuerant redacta, liberarentur, et res ablatæ pristinis possessoribus restituerentur.

Altero

Altero anno post, Pacorus subacta Syria, magnis promißis inductus, Antigonum Hierosolymam reducit, ut supra dictum est. Ibi Herodes cum audiret contra ius gentium fratrem Phaselum, cum Hyrcano summo sacerdote captum in uinculis teneri, et Iudæos animaduerteret rebus Antigoni fauere, metuens et hostes et ciues, cũ matre Cypride, Doride coniuge, Sorore Salome, Marianne sponsa, socru Alexandra, & alijs matronis octingentis, et amicorum comitatu maximo, nocte clam urbem egressus, in Idumeam ægre euasit. Nam in itinere etiam mater euerso curru ualde adflicta, ita consternauerat Herodem, ut de consciscenda morte cogitaret, et premebatur ab insequentibus Barbaris, quos tamen fortiter fusos repulit.

Inde cum corpora et res suas in loco munito Massada deposuisset, eorumq; custodiam ac defensionem Iosippo fratri commendasset, ipse Aretam regem aditurus cum paucis proficiscitur, fretus amicitia, quæ inter Aretam & Antipatrum patrem fuerat.

Sed Arabiæ finibus exclusus, magnis cum difficultatibus in Aegyptum peruenit ad Cleopatram, a qua rebus necessarijs instructus, iniquißimo tempore nauigans Romam uenit, ubi Antonium de Antigoni fraude, de sua fuga, de suorum periculo certiorem factum, obtestatur,

ut quem semel complexus tantopere ornauerit, non patiatur hoc tempore ab aduersarijs conculcari.

Antonius querelam & petitionem Herodis ad Augustum collegam primum refert, deinde ambo supplicem amicum senatui commendant, studia patris Antipatri ac perpetuam fidem erga duces et milites Romanos, ac praecipue erga Iulium Caesarem praedicant, breuiter efficiunt, ut communibus sententijs Antigonus hostis populi Romani iudicaretur, Herodi uero regnum gentis Iudaicae decerneretur, septimo die post, quam urbem Romam fuerat ingressus.

Inde ex curia medius inter Augustum & Antonium, praeeuntibus consulibus Domitio Caluino, Asinio Pollione, ac Magistratibus reliquis et senatoribus comitantibus, deducitur in Capitolium, ac factis sacris, primo illo regni die ab Antonio magnifico conuiuio excipitur, anno quarto post Iulium Caesarem, secundo post Ciceronem interfectum, ante natum Christum anno 37.

Reuersus in Iudeam Herodes, difficile bellum cum Antigono rege gessit, quod quatuor annos durauit, eo quod duces Romani, Ventidius Silo, & alij,

alij, quibus restitutio Herodis mandata fuerat, magna pecunia ab Antigono corrupti, moræ causas quærebant, nec serio Herodem iuuabant, et multi Iudei odio domus Antipatri, tumultus contra ipsum excitabant.

Valde igitur difficilia regni sui initia habuit Herodes, sed tamen industria, diligentia & uirtute paulatim eluctatus omnes difficultates, Galileam, Samariam, et Iudeæ maiorem partem occupauit.

Postea aduenerunt auxiliares copiæ à Ventidio missæ, quas ducebat Machæra quidam, quem ipsum quoq; cum negligentius rem gerere, tergiuersari, et respectare ad Antigonum spe nummorum animaduertisset, nihil præsidij in eiusmodi ducibus esse expertus, ipse ad Antonium obsidentem urbem Samosata maximis itineribus contendit, ubi in uia aliquot secundis prælijs latrones profligauit, qui transitum intercluserant.

Ei aduentanti Antonius cum exercitus maxima parte honoris causa, ut regi, obuiam processit, et conquestum de perfidia ducum quorundam, qui largitionibus Antigoni corrupti mandata senatus et

Augusti hactenus neglexissent, cum duabus legionib. ueterani militis in Iudeam remittit, ac Sosium unum de fidißimis suis ducibus cum alio exercitu sequi iussit, ubi primum Samosata urbs expugnata esset.

Dum abest Herodes, frater eius Iosippus infœliciter præliatus, ab Antigoni militibus cum exercitu trucidatur prope Hiericuntem.

Deficiunt etiam Galilei, et in Iudea multi rebellant.

Reuersus igitur cum ueteranorum exercitu, ægre pacauit Galileam, et multis paruis prælijs uario euentu commißis, ita fregit tandem uires Antigoni, ut intra munitionem Hierosolymitanæ urbis sese abderet.

Herodes adducto ad urbem exercitu, cum munitiones et machinas ad oppugnationem necessarias perfecisset, relictis cum exercitu ducibus, ipse Samariam contendit, nuptias celebraturus cum Marianne Asmonea, quam supra dixi Alexandri II. filiam, Hyrcani II. neptem fuisse, quæ Herodi ante quadriennium, hoc est, ante Parthorum irruptionem fuerat desponsata.

Interim

Interim Sosius cum exercitu ex Syria ab Antonio missus subsequitur, et suas copias cum Herodis exercitu coniungit, quo post nuptias ad Hierosolyma reuerso, magna ui ambo duces ex diuersis locis urbem oppugnare incipiunt.

Iudei inclusi, etsi rerum præcipuarum penuria ualde premebantur, tamen concepta spe de diuina liberatione, quod se dicerent pro libertate populi, pro legitimo rege contra exteros, pro templo & religione contra ethnicos pugnare, difficilimam obsidionem aliquandiu sustinebant, et hostes crebris excursionibus duriter adfligebant, donec tandem mense Maio expugnata est urbs eodem die, quo ante annos 27. á Pompeio capta fuerat, ut supra retulimus, M. Agrippa & Canidio Gallo coss.

Milites Romani irritati mora obsidionis, & acceptis cladibus, non tam in armatos Iudeos, quam in imbellem multitudinem atrociter sæuierunt.

Antigonus Rex ad pedes Sosij prostratus, supplex ueniam petijt, Sed contumeliose acceptus ac uinctus postea ad Antonium Antiochiam abductus, ibiq; flagitante id Herode occisus est.

Difficilimum fuit Herodi in illo furore militari, arcere Romanos, ne impetu facto in templi adyta, sacros thesauros spoliarent, ægre etiam immani pecuniæ summa promissa obtinuit, ne uniuersas ciuium facultates milites diriperent.

Hoc modo capta urbe, et extincto Antigono ultimo ex Asmoneis Rege, Herodes Iudeæ regnum consecutus est, anno 33 ante Christum natum, unde ad constitutionem regni conuersus, crudeliter interfecit optimates coniunctos Antigono.

Ac cum largitionibus et sumptibus belli omnes fere facultates suas & propinquorum exhausißet, edicto coegit ciues omnia sua ornamenta ex auro argentoq;, et quicquid habebant præsentis pecuniæ, in arcem regiam comportare, et custodias in portis posuit, quæ excuterent egredientes, atq; etiam Funera efferentes, nunquid rei preciosæ aut pecuniarum exportarent.

Ingruit etiam eodem tempore fames propter annum Sabbatarium, quo non licebat agros conserere, cum esset superioribus quoq; annis agrorum cultura multis in locis intermissa propter aßidua bella intestina.

Vere

Vere igitur fuit ille miserrimus status ciuitatis Hierosolymæ, oppressæ tristi seruitute, qua impliciti hæserunt pij quoq; homines, Simeon, Zacharias, Ioseph et similes pauci, qui in his tristißimis spectaculis et ærumnis sese erexerunt spe aduentus Meßiæ, quem eo quoq; propius sciebant instare, quod iam sceptrum de domo Iuda prorsus ablatum esse cernebant.

Herodes autem cum metueret populum, offensum hac crudelitate et rapinis, ut eum rursus placaret, per literas reuocat ex Babylone Hyrcanum II. cuius neptem uxorem duxerat, mißis muneribus Parthorum regi, quibus captiuus redimeretur.

Eum reductum in urbem Hierosolyma, non quidem sacerdotem fecit, propter mutilationem corporis, sed alioqui summo in honore habuit, et palam in consessibus supremo loco collocauit. Alium autem ex Babylone profectum Iudeum Ananelũ, in Antigoni locum substituit, qua re et suos domesticos et populum ualde offendit.

Hoc ubi sensit Herodes, Aristobulum coniugis suæ Mariannæ fratrem, remoto Ananelo, summo

sacerdotio præfecit, quem post annum nefaria fraude interfecit, et Ananelo principatũ Sacerdotij reddidit, ut supra exposui.

De hoc scelere postea ab Alexandra apud Cleopatram accusatus, et ab Antonio accersitus Laodiceam ad reddendam rationem, muneribus & purgatione Antonium placauit.

Instante bello Actiaco, cum Augustus & Antonius de summa imperij certaturi, maximo apparatu sese instruerent, Herodes ad Antoniũ profectus, et operam suam, et auxilia paratißima ad bellum contra Augustum ultro obtulit. Sed Antonius nihil illis se auxilijs egere cum dixisset, suasu Cleopatræ demandauit illi bellum regi Arabum inferendum, qui pactas Cleopatræ pensiones ducentorum talentorum annui reditus soluere detrectabat.

In eo bello cum primum ingenti prælio Arabes fudisset, fortuna uersa, exercitum fere omnem amisit, ac insuper etiam castris exutus est. Ad illam cladem Iudeorũ, acceßit etiam terræ motus, qui amplius decem millibus hominum in Iudea extinxit illis diebus, quibus ad Actium nauali prælio pugnatum est, anno septimo regni Herodis.

His

His calamitatibus Iudeorum excitatos Arabes, et atrociter ferro ac incendijs grassantes in Iudea, Herodes, difficulter recollectis uiribus, repreßit, et intra patrios fines redire compulit.

Terræ motum et hostium incursiones insecuta est fœda lues, quæ magnam uastitatem in urbibus, agris, et Castris regis fecit.

Post has publicas clades eodem tempore concurrentes, Herodem etiam priuatum periculum excepit. Nam post Actiacam pugnam uicto et deinde extincto Antonio, cui semper fuerat coniunctißimus Herodes, angi cepit metu uictoris Augusti, nec obscuras populo significationes præbuit consternati & trepidantis timore animi.

Quare et alij in populo Iudaico impatientes externæ dominationis, erigere se ceperunt spe nouarum rerum, ac lætari Herodis periculo, et inprimis Socrus regia Alexandra tempus adesse rata, quo et filij necem uindicare, & regnum ad suos transferre posset, crebris sollicitationibus ac conuicijs iam decrepitum pene et natura ocij amantem

amantem Hyrcanum patrem impellit, ut cogitet de fuga in Arabiam, ut ſi Herodes ab Auguſto uictore aliquid pateretur triſtius, regnum Iudeæ Arabum ope inuaderet.

De ea re ſcriptas literas ab Hyrcano ad Arabicum regem, Doſitheus miniſter perfidioſißimus tradidit Herodi, qui rem melius exploraturus, miſit eundem Doſitheum cum literis in Arabiam, & poſtquam reſponſum a rege datum Hyrcano, cognouit, Hyrcanum ut inſidiatorem damnatum iudicio, occidi curauit.

Alij ſic narrant, Herodem in tali periculo metuentem, ne multitudo Iudaica, quam infeſtam habebat, hac occaſione incitata, conaretur regnum ad Hyrcanum transferre, qui unus ex regia Aſmoneorum domo erat reliquus, conficto crimine inſidiarum et compoſitis ad id literis, perfeciße, ut innocens ſenex ſupplicio capitali adficeretur.

Deinde matrem, ſororem, & cognatos reliquos ac ſobolem omnem, cum Pherora fratre mittit in Idumeæ oppidum munitißimum Maſſadam, Sed Alexandram ſocrum et Mariannen coniugem, quibus

non

non putabat conuenire posse cum cæteris mulieribus, in alia munitione Alexandrio collocat, & ijs præficit custodes Iosippum quæstorem regni, & Soëmum, amicos probatißimos, cum his mandatis, ut siquid aduersi ipse ab Augusto passus esset, mulieres ambas interficerent, et cum Pherora fratre regnum filijs pro uirili conseruarent integrum, donec adolescerent.

His ita constitutis, ad Augustum contendit, in insula Rhodo tunc legatos audientem, ubi deposito diademate, sed alijs in rebus regiam libertatem præ se ferens, ut causæ et clementiæ Cæsaris fisus, se Antonio amicum fuisse fatetur, et missurum auxilia fuisse, si is petiuisset, sed diuinitus se à societate illius funesti conatus Antonij abstractum, interim Arabico bello fuisse implicitum, in quo maximis cladibus acceptis, satis graues pœnas dederit amicitiæ cum Antonio, & obsequij sui.

Si igitur uelit experiri ipse quoq; Augustus, qua fide Herodes amicitias colere consueuerit, se paratum id ueris officijs euidenter declarare.

Hac magnanimitate Herodis delectatus Augustus.

gustus, amanter eum complexus, et rursus insigni regio ornatum hortatus est, ut non minorem de Augusti beneuolentia et fide spem conciperet, quam de Antonio habuisset antea.

Herodes hac insperata clementia Augusti in summa prope desperatione denuo subleuatus ad regni firmiorem possessionem, supra uires munera largitus est Augusto, eius amicis, et exercitui. Deduxit etiam imperatorem in Aegyptum nauigantem, & inde in Syriam reuertentem hospitio excepit, plus quam regio apparatu omnibus rebus necessarijs instructis in multis partibus Iudeæ.

Talibus Herodis officijs delinitus Augustus, eam partem Iudeæ ei restituit, quam Antonius flagitanti Cleopatræ donauerat, et addidit insuper etiam Samariam, et alias maritimas urbes, quarum accessione opes regni ualde auctæ sunt.

Hac fœlicitate foris usus Herodes cum in Iudeam reuersus esset, reperit domi suæ omnia intestinis odijs exulcerata. Nam Marianne Vxor regia, bis iam compererat ex suis custodibus, mandatũ ab Herode fuisse, ut ipsa cum matre interficeretur, si quid

uel

uel Antonius antea, uel nunc Augustus durius in regem statuissent. Quare auersata consuetudinem Herodis Marianne, cum blandienti, et signa ardentissimi amoris ostendere conanti marito crudelia illa mandata exprobrasset, eáq; non esse amantis signa dixisset, Herodes suspicatus, eam non potuisse, salua fide coniugali, hæc arcana iussa à custodibus Iosippo prius, & nunc à Soëmo elicere, uehementi iracundia exarsit, et cogitare de punienda adultera cepit.

Sed uis amoris non permisit eum uel credere prorsus id, quo suspicione ducebatur, uel sæuire in fœminam forma excellentem, generis nobilitate insignem, & omnibus matronalibus decoribus ornatam.

Diu itaq; fluctuantem Herodem tandem Salome soror impulit ad facinus indignißimũ. Ea enim hanc occasionem nacta ulciscendi contemptum sui, adulterij suspicionem auxit, et crimen ueneni parati adfinxit, idq; per pincernam regium, pecunia corruptum, Herodi probauit.

Ibi demum efferatus Rex condemnatam amicorum sententijs Mariannen coniugem capitali supplicio adfecit, matrem quinq; liberorum.

Paulo

Paulo post pœnitentia facti, & uehementißimo desiderio dilectißimæ coniugis languens, conspectum hominum fugere cepit, et prætextu uenationum in latebras sese abdere, ubi cum plurima doloris lenimenta quæreret, nec uincere magnitudinem ægritudinis posset, in morbum corporis letalem incidit.

Sæuijt eodem tempore in Iudea pestilentia, qua magna multitudo hominum absumpta est, et a plurimis existimatum, eam pœnam ob crudelitatem regiam diuinitus fuisse constitutam.

Cum igitur Rex in urbe Samaria decumberet, et pleriq; de uita eius desperarent, Alexandra socrus excubias templi et urbis sibi adiungere promissa mercede conata est. Sed re patefacta, Herodes eam interfici iußit, mox liberatus morbo etiam in intimos amicos sæuijt, factus iam impatientia doloris pronior ad crudelitatem.

Postquam neminem iam amplius de familia Asmoneorum aut aliunde restare uidit, cuius potentiam metuendam existimaret, præter multitudinem, securior factus, multa fecit insolenter, & instituit

quædam cum lege diuina & receptis moribus Iudeorum pugnantia.

Extruxit enim in urbe Hierosolyma Theatrum & Amphitheatrum, in quibus exhibebat ludos scenicos, uenationes, gladiatorũ lanienas, prorsus Ethnicorum more . Instituit et agonem quinquennalem in honorem Augusti, et imagines Cæsarum, ac uictorias eorum publice proponebat.

Iis rebus antea inusitatis & lege Dei prohibitis cum intellexisset populum ualde offendi, ita ut conspirationes inter quosdam fierent de occidendo Rege, ut tutior contra insidias & seditiones esset, multa loca accurate muniit, Alexandrium, Herodium, Hyrcanium, & præsidia firmiora pluribus in locis opportunis disposuit.

Aliquot etiam urbes magnifice uel extruere, uel instaurare cepit, impositis imperatorum et amicorum nominibus, quarum præcipua fuit Stratonis turris, ad mare, quam Cæsaream uocauit, & Samaria, unius diei itinere ab Hierosolymis distans, quam ab Augusto Sebasten, Anthedonem renouatam, Agrippium, a Cæsaris genero appellauit. Condidit

Antipatridem a patre dictam in agro Capharsalamæ, Phaselidem à fratris nomine prope Hiericuntem, Herodium á suo nomine iuxta Arabiam.

Cum autem XIII. anno regni, sterilitas agrorum ex diuturno æstu, famem attulisset, quam horrenda lues pecudum & hominum sequebatur, magno studio ex Aegypto & uicinis regionibus conquisitum & importatum frumentum populo uiritim distribuit. Cumq; ad eam rem pecunia deesset, exhausto regio thesauro immanibus illis ædificationibus, omnia sua aurea & argentea uasa, & quicquid habuit ornamentorum preciosorum, frumentationi impendit.

Ea munificentia non modo offensas priores ex animis subditorum deleuit, sed etiam beneuolos eos aliquantum sibi reddidit.

Anno XVII. regni Herodis Augustus in Syriam profectus, Chalcidis regnum Herodi donauit, addita Trachonitide & Batanæa, ac præterea potestatem fecit, relinquere ex filijs regni successionem, cui ipse uellet. Pro illa liberalitate Augusti Herodes in Paneade iuxta fontes Iordanis, magnificen-

gnificentißimum templum extructum, Augusto sa-
crauit.

Illa Ethnica assentatione deintegro abalienatam à se multitudinem Iudeorum mitigare studuit, remissa tertia parte tributorum.

Sed cũ ne sic quidem compescere quosdam posset, clamantes, nullo modo ferendum esse, hominibus mortalibus templa in terra Iudea poni, eosq; ibi diuinis honoribus coli, acerbitate suppliciorum illos cohercuit, immißis auscultatoribus in omnes congressus publicos et priuatos, qui sermones asperiores ad regem perferrent. Quin etiam ipse Rex dicitur uestitu plebeio nocte sæpe circulis colloquentium se immiscuisse, ad captandos sermones subditorum de præsenti statu regni.

Tandem cum nihil beneuolum, nihil fidum in illo populo deprehenderet, iuramento sibi eum obnoxium reddere tentauit. Vbi aliquos largitionibus ac promißis, ad præstandum obedientiæ ac fidei iuramentum adduxit, alios metu suppliciorum coegit, alios contumaciter detrectantes iuramentum, uarijs modis e medio sustulit,

exceptis Phariſeis, quibus pepercit propter paucos quoſdam ſenes, quos ob morum ſanctitatem populo caros reuerebatur, Pecunia tamen grandi eos mulctauit, quam perſoluit Pherorӕ coniunx, ut ſibi illam factionem obnoxiam redderet. Eſſeis quoq; iurandi gratiam fecit, quos ut ſupra humanam naturam ſanctius quoddam uitӕ genus colentes, et prӕdicendorum futurorum ſcientia claros, ſuſpiciebat.

Decimo octauo regni anno cupiens maiore beneficio demereri ſubditos, & priorum ſuorum exceſſuum memoriam abolere, ӕdificationem templi Hieroſolymitani magnificentiſſimam aggreſſus eſt, funditus ſublato priore ӕdificio, quod poſt reditum ex Babylone extructum, iam annos 500 ſteterat.

Hoc opus ſtupendum magnitudine, ſumptu, arte, octo annorum ſpacio abſolutum, maxima feſtiuitate dedicatum eſt, in qua Herodes trecentos boues mactandos prӕbuit, anno ſeptimo, ante natum Chriſtum, cui poſtea etiam diſcipuli cum admiratione oſtenderunt magnificentiam ſtructurӕ Matthei 24. Marci 13. Lucӕ 21. & ſicut ibi prӕdixit Chriſtus, cum ſtetiſſet hoc templum annos octoginta fere, à Romanis ſolo ӕquatum eſt.

Abſoluta

Absoluta templi structura, Romam profectus est, salutandi Augusti causa, unde abiens filios suos ex Marianne interfecta susceptos, Alexandrum & Aristobulum, quos studiorum causa ante decennium fere Romam missos, Augusto commendauerat, & in domo Asinij Pollionis aluerat, secum in Iudeam reduxit, ut eos ad spem successionis institueret.

Primum igitur eis Vxores dedit, Alexandro Glaphyram, filiam Archelai Cappadocum regis, Aristobulo Berenicen filiam sororis suæ Salomæ.

Hi iuuenes et ingenij & corporis dotibus præstantes, mox diligi á populo ceperunt. Sed Salome & alij, qui Mariannæ interficiendæ præcipui impulsores Herodi fuerant, uindictam metuentes, si hi iuuenes regnũ essent adepti, clam sparsis rumoribus, quasi patris consuetudinem auersarentur, propter occisam ab eo matrem suam, Herodis animum paulatim incendere ira aduersus filios conati sunt.

Interim M. Agrippa gener Augusti in Asiam profectus nunciabatur, ad quem celeriter accurrens Herodes, persuadet, ut Iudeam uiseret, ubi cum eum honorificentißime excepisset Herodes, et munitio=

nes ac reliquas ædificationes ei monstrasset, properantem ad exercitum dimisit. Finita hyeme eundem cum classe profectum in Pontum, Herodes subsecutus, toto expeditionis tempore comitatus est.

Domum ex interuallo reuersus, inuenit intestinis odijs omnia interim turbata. Nam Salome soror & Pheroras frater statim accusant filios Mariannæ Alexandrum & Aristobulum, quod palam conquererentur de indigna nece matris, minarentur uindictam, et non occulte captatis uulgi studijs, struerent insidias patri seni, freti opibus Archelai soceri, et amicitijs Romanorum, quas iamdudum in hoc ipsum cum potentissimis in domo Augusti iunxerint.

His sermonibus attonitus Herodes, quiduis potuis ferre adsuetus, quam suspiciones adfectati regni, quosdam ex amicis, filiorum conuiuijs et colloquijs adhibuit, per quos certior fieret de sermonibus et conatibus eorum.

Ibi cum iuuenes nihil mali uel conati uel suspicati, quædam tantum dixissent liberius, idq; ab alijs prouocati, qui de industria, ut eiusmodi dicta elicerent, prædicabant Mariannæ matris nobilitatem et

uirtutem

uirtutem, statim Herodes ijs cognitis, uera esse omnia illa credidit, quæ Soror ad ipsum detulerat, ac primum acriter filios obiurgauit. Postea ut æmulatione eos ad reuerentiam patris & ad modestiam reuocaret, filium Antipatrum minus sibi carum antea, qui priuato adhuc ex Doride natus fuerat, complecti arctius et fouere palam ad spem successionis cepit.

Ea re magis indignati iuuenes, asperius quam ante, de patris iniquitate, et sua infœlicitate conquesti sunt, qui sermones cum omnes ad patrem per exploratores illos perferrentur, & Salome etiam filiam Berenicen incitatam contra maritum Aristobulum, crebris conuicijs coegisset enunciare secreta fratrum cum alijs colloquia, quæ ipsa postea atrocius aucta Regi indicabat, ita tandem est irritatus Herodes, ut attractos secum Romam filios ambos coram Augusto insidiarum accusaret.

Hic cū miserrimi filij purgatione, precibus, lachrimis Augusto & alijs iudicibus satisfecissent, sunt patri reconciliati, et in Iudeam reducti. Vbi Rex conuocata concione causam sui itineris et successū exposuit, et addidit, uoluntate Augusti post suam mortem successurum Antipatrum, ut natu maximum, deinde

regnaturos Alexandrum & Aristobulum, quos copiosa oratione populo commendauit.

Ab eo tempore Antipater multo acrius fratres insidiosis criminationibus, et ad id conductis pluribus delatoribus, patri inuisos reddere studuit, postquam uidit eos in societatem regni adscitos esse, qui gratia apud populum ob genus maternum longe plus ualituri essent.

Nec quieuit, donec adiutoribus Pherora & Salome, patri persuasit, filios etiam post reconciliationem, consilium capere de inuadendo regno. In id crimen dũ inquirit Herodes, plurimos ex amicis tam suis quam filiorum, acerbitate quæstionum interimit, nec tamen aliud quicquam mali comperit, nisi liberiores quasdam improuidorum iuuenum querelas de sæuicia immodica patris, de turpi eiusdem facilitate, præbentis aures quibuslibet delatoribus, de impietate ac nefarijs fraudibus Antipatri fratris, & coniunctæ factionis, quibus malis ut se exoluerent semel iuuenes, de fuga capessenda consultasse dicebantur, nec id ipsi quoq; negabant.

Sed impatiens eiusmodi suspicionum Herodes, et illis

et illis domesticarum furiarum, Salomæ & similium uirulentis calumnijs exasperatus, Alexandrũ & Aristobulum denuo per literas apud Augustum, postea eo faciente patri potestatem puniendi filios pro grauitate delicti, coram Saturnino & Volumnio Syriæ præsidibus, alijsq; Romanis ciuibus, et amicis ex Iudea accitis, in oppido Syriæ Beryto accusauit, & condemnatos capitis plurium sententijs, in urbe Sebaste laqueo strangulari iußit, simul occisis ibidem trecentis uiris, qui conscij fuisse credebantur consilij de fuga filiorum.

Reliquit Aristobulus cum occideretur superstites ex Berenice tres filios & duas filias. Alexander uero ex Glaphyra duos filios & aliquot filias, de quibus suo loco dicemus.

Post id tempus infœlicißimus esse cepit Herodes, tota eius domo turbata acerrimis odijs, suspicionibus, insidijs, ita ut filius Antipater cum fratre Herodis Pherora et mulieribus aliquot in aula, conspiraret de interficiendo rege patre.

Cum autem Antipater arte perfecisset, ut ab Augusto Romam accerseretur, ut ibi se potentia Cæ-

ſaris muniret, & amicos ſibi in domo imperatoris muneribus pareret, accidit interim, ut Pheroras moreretur, cuius Vxorem quidam eius liberti accuſarunt coram Herode, quod maritum ueneno ſuſtuliſſet.

Herodes dum id facinus tormentis inquirit, paulatim alia longe maiora ſcelera, & manifeſtas inſidias Antipatri filij comperit. Ibi exacerbatus rex graſſatur fere per totam domum acerbiſſimis quæſtionibus, non parcens etiam coniunctiſſimis uel matronis uel puellis, de quibus minima ſaltem erat ſuſpicio, et quo diutius quærit, eo magis deprehendit ſe domeſticis ſuis inuiſum, et miſerrimum eſſe.

Sola regis ſoror Salome fratri fidem præſtitit, et machinationes coniuratorum per exploratores ſagaciſſimos obſeruatas, clam ad fratrem detulit, animum eius exaſperatum tanta coniunctiſſimorum hominum perfidia, confictis ſuſpicionibus etiam magis exulcerans.

Quare Herodes Antipatrum, quem conſtabat uenenum paratũ habuiſſe ad necandum patrem, coram Quintilio Varo, quem poſt duodecim annos

Harminius

Harminius Cheruscus in Germania cum tribus legionibus occidit, accusatum, conuincit parricidij crimine, et condemnatum in uinculis teneri iubet, donec de eo puniendo Cæsaris Augusti sententiam per legatos et literas exploraret.

Interim plurimos utriusq; sexus in tota aula & alibi, conscios Antipatri conatuum, ad supplicium rapit, cum quibus etiam multos innocentes, ab inuidis delatos, ille furor Regis tanquam æstus maris simul absorpsit.

Paulo post iam ferme septuagenarius, tot domesticis calamitatibus quassatus, in grauißimum morbum incidit, quo ipso sæuior est factus in subditos quoq;, eo quod credebat Iudeos delectari cum ob intestinam familiæ miseriam, tum ob præsentem morbum.

Quare crudelius etiam paruis delictis pœnas statuere cepit, Et quadraginta scholasticos iuuenes ex clarißimis Iudeorũ familijs ortos, cũ præceptoribus duobus, præstantibus uiris, uiuos concremauit, eo quod iusto dolore ob prophanatum templum perciti, auream aquilam supra fores templi in honorem Cæsaris magnifice quidem, sed contra

ritus

ritus gentis Iudaicæ extructam, facto impetu deiecerant. Horum iuuenum tam atrox pœna post mortem Herodis magnum in urbe motum excitauit.

Fecit et alia multa crudeliter, de quibus hæc quoq; recenset Philo Iudeus, quod tricesimo anno sui tyrannici regni, hoc est, penultimo, Sanhedrin, hoc est, ordinarios iudices ex domo Dauidis occiderit, et alios ex proselytis in lege peritos ipsis substituerit. Et Salomæ maritum de tribu Iuda, et filium, quem ipsi coniunx ex eadem tribu pepererat, interfecerit, eo quod diceretur Christus iam natus esse, in lege ac prophetis promissus ex domo Dauid.

Extat autem et in Euangelista Mattheo insigne crudelitatis eius exemplum, ubi narratur, quomodo ex Magorum indicio certior factus, Meßiam natum esse, infantes omnes masculos in oppidulo Bethlehem, & in uicino agro trucidari iusserit. Eius facti testis est Macrobius, qui inter iocos Augusti etiam hunc commemorans inquit: Cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudeorum intra bimatum iußit interfici, filium quoq; eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quam filium.

Quin

Quin etiam cum putrescentibus intestinis, & carne uermibus per totum corpus scatente, spem longioris uitæ abiecisset, edicto optimates Iudeorum, sapientia, opibus, et autoritate præstantes, ex toto regno, Hiericuntem, ubi postremo decumbebat, conuocauit, quos obsecutos regio mandato, concludi in Hippodromo iussit, tanquam cum ijs aliquid de regni constitutione ante mortem acturus.

Sed sorori Salomæ, eiusq; marito Alexæ mandata dedit, ut ubi primum ipse expirasset, immissa prætoria cohorte, omnes istos potentes Iudeos interfici curarent, hoc quærens, ut et populo luctus causa præberetur, lætaturo alioqui de regis inuisi miserabili interitu, et filij possessionem regni sine impedimentis tenerent, potentissimis in populo sublatis. Hoc etsi tum quidem Salome & maritus regi furenti se facturos promiserunt, tamen eo defuncto, ante quam mors eius uulgo innotesceret, omnes illos Iudeos incolumes dimiserunt, nec sibi nec liberis Herodis tutum fore rati, huic immani eius edicto obtemperare.

Paulo ante mortem reuersi ex Italia legati, literas ab Augusto attulerunt, quibus fiebat Herodi

potestas

potestas in filium Antipatrum uitæ & necis. Sed mitigata iam ira patris aliquantum fuerat, Ideoq; filium Hiericuntem adduci mandauerat, nondum tamen uinculis solutum.

Accidit autem, ut pertæsus uitæ Herodes in tantis cruciatibus, & putrefactione carnis, arrepto cultro locum in pectore quæreret, quà adactum ferrum lætale uulnus faceret. Sed cum accurrente Achiabo uno ex propinquis, et alijs ministris, prohibitus esset, ne sibi manus adferret, ac trepidatio et clamor per totam Regiam exortus esset, tanquam mortuo Rege, Antipater in carcere cognita causa cursationis, ut extincto patre exultans, magnis promißis custodes carceris flectere conatur, ut ipsum uinculis eximant.

Sed eorum præfectus, regis sæuiciam metuens, cum iuisset exploraturus certo regis obitum, læticiam filij, & sollicitationem patri indicat. Eo nuncio uehementißime commotus Herodes, é uestigio in carcere occidi iubet Antipatrum.

Et cum quinq; dierum spacio superstes filio Antipatro fuisset, uiolentia morbi, aucti doloribus animi, ipse

mi, ipſe quoq; extinguitur, cum poſt occupatam Hieroſolymorum urbem regnaſſet annos 34. Poſt nomen Regium à Romanis acceptum 37. Vir crudelis in omnes æqualiter, ex obſcuro loco in ſummum honoris faſtigium induſtria, largitionibus, amicitijs euectus, foris fœlix, domi calamitoſißimus, tam populo quam domeſticis ob ſæuiciam et impietatem inuiſus.

Tria autem illi præcipua certamina toto gubernationis tempore fuerunt:

Primum cum familia Aſmoneorum, quam extirpare radicitus conatus eſt.

Alterum cum populo Iudaico, quem impatientißimum alienæ dominationis, et ſæpe recalcitrantem, tandem duro ſeruitutis iugo implicuit.

Poſtremũ & longe difficilius ac triſtius, cũ domeſticis ſuis, quos partim innocentes occidit, falſis inuidorũ delationibus auſcultans, ac ſuis ſuſpicionibus et cupiditati regnandi indulgens, partim reuera inſidias ſtruentes in ipſo facto deprehenſos ſupplicio affecit, donec ipſe quoq; ad extremum illis domeſticis ærumnis magis quam ætate confectus occubuit.

Philo

Philo ſcribit cum ſex annis legitimo, & 31 annis tyrannico imperio regnaſſe.

Anno regni illius triceſimo tertio, ut aliquoties dicit Epiphanius, ſub primam deſcriptionem orbis, natus eſt in Bethlehem ex Maria uirgine IESVS CHRISTVS redemptor noſter, qui agens iam ſecundum ætatis annum, monente angelo, á parentibus in Aegyptum fugientibus, crudelitati huius graſſatoris immanis ereptus, et inchoato principatu Archelai, in Iudeam reductus eſt.

Teſtamentum ſuum Herodes ter mutauit.

I.

Primum conſcripſit poſt interfectos filios ſuos ex Marianne Aſmonea, quod per Antipatrum filium Romam euntem ad Auguſtum miſit, in quo regni hæredem fecit ANTIPATRVM primogenitum ex Doride, ita tamen, ut ſi is ante tempus moreretur, ſuccederet HERODES filius ex Simonis ſummi ſacerdotis filia, cui propterea in matrimonium dederat, ut Ioſephus uult, Herodiadem filiam Ariſtobuli filij Mariannæ Aſmoneæ.

Poſt mortem Pheroræ fratris cum inſidiæ Antipatri

tipatri

tipatri essent retectæ, et Rex comperisset, matrem Herodis destinati successoris, filiam pontificis, conscium fuisse nefarij consilij Antipatri, nomen filij Herodis, sicut et Antipatri, ex testamento deleuit, & utriq; spem regni ademit, matresq; amborum Doridem & Mariannen, spoliatas omnibus ornamentis, ex Regia domo expulit, ac soccro Simoni summum sacerdotium ademit.

II.

Quare mutauit testamentum, et minimum filiorum, Herodem ANTIPAM regia dignitate post mortem suam donauit, natum ex Marthaca Samaritica. Præterijt autem natu maiores Archelaum & Philippum ideo, quod eos Romæ in studio literarum uersantes, quidam amici Herodis, instinctu Antipatri, falso apud patrem per literas accusauerant.

Eodem testamento Cæsari Augusto mille talenta, hoc est, sex Tonnas auri legauit, et Liuiæ coniugi, filijs, amicis, ac libertis Augusti, quingenta talenta.

III.

Postremo cum iussisset paucis diebus ante mortem interfici Antipatrum ob impios conatus contra fratres & patrem, placatus iam à duobus filijs natu maioribus, tertio mutauit testamentum, quo ARCHELAO regnum Iudeæ tradidit, quatenus id Augustus ratum habiturus esset.

ANTIPAM pro Rege Tetrarcham fecit Galileæ & Perææ, hoc est, regionis trans Iordanem sitæ.

PHILIPPVM similiter Tetrarcham constituit super Gaulonitidem, Trachonitidem, Bataneam, et Paneadem.

SALOMAE, sorori, quam unam ex omnibus propinquis in aduersis rebus fidissimam adiutricem expertus fuerat, tres splendidas urbes legauit, Iamniam, Azotum, & Phaselidem, additis 50 millibus coronatorum.

Cæteris suis liberis & nepotibus, quos priuatam uitam colere uoluit, lauta patrimonia constituit, & legata Augusto & alijs Romam mittenda duxit. Sed Augustus pecuniam omnem sibi legatam cognatis Herodis postea distribuit, pauca quædam uasa memoriæ causa retinuit.

DE libe-

DE LIBERIS HERODIS MAGNI.

Quæ fuerit liberorum Herodis series, ac propagatio, uidetur necessario hic exponendum esse, cum ea res etiam Euangelicæ historiæ lucis aliquid adferre posit, etsi ab ea descriptio Iosephi nonnihil dissentit, maxime de HERODIADE, quam aliquoties Iosephus dicit, prius nuptam fuisse non Philippo Tetrarchæ, ut Marcus habet Capite. 6. sed Herodi nato ex Simonis Pontificis filia, postea ab eo abductam cohabitasse cum Herode Antipa Tetrarcha Galileæ, qui Iohannem Baptistam interfecit. Filiam autem Herodiadis Salomen, saltatricem illam iunctam fuisse aliquandiu Philippo.

Sed apud nos plus ualere autoritas Euangelistarum debet, quam Iosephi, qui in hac ipsa Herodis genealogia alicubi pugnantia dicit, quod mirum nō est in tanta amplitudine familiæ.

HERODES Rex, more Regum Iudaicorum ueterum, plures uxores simul habuit, decem autem in uniuersum, ex quibus duæ steriles fuerunt.

Prima fuit DORIS.

Eam duxit ex non magna familia adhuc priuatus, uiuente patre, ex qua suscepit ANTIPATRVM, quem post superinductam Mariannen Asmoneam, repudiata matre Doride, abdicauit, nec permisit in urbem Hierosolymam ascendere, nisi ad trium festorum solennes celebritates.

Sed cum post supplicium Mariannæ, Doridem recepisset in aulam & thalamum regium, filium quoq; reuocauit, et successorem regni relinquere constituerat, nisi is impijs suis machinationibus contra fratres & patrem, sibi ipse dignum factis exitium accersiuisset, et matrem quoq; denuo Herodi inuisam reddidisset.

Antipater coniugem habuit filiam Antigoni ultimi Regis ex Asmoneis, ex qua habuit filium ANTIPATRVM, cui nupta fuit filia Pheroræ patrui magni. Duxit postea et fratris interfecti Aristobuli filiam Mariannen.

Ex II. coniuge
MARIANNE Asmonea
Habuit plurimos hæredes, quorum
hæc est series.

MARIANNE — HERODES

Glaphyra filia Archelai regis Cappadocum. — ALEXANDER interfectus à patre.

ALEXANDER
|
TIGRANES mittitur à Nerone rex in Armeniam.
|
ALEXANDER à Vespasiano constituitur Rex in Cilicia.

TIGRANES factus rex Armeniæ, et Romæ accusatus, moritur sine liberis.

ARISTOBULUS à patre interfectus, ex Berenice susceptos reliquit superstites quinq; liberos quorum hæc sunt nomina.

Tertius cito mortuus.

SALOME nupta Phaselo filio Phaseli fratris Herodis, de cuius liberis supra dictum est.

CYPRIS desponsata fuit Antipatro filio Salomæ sororis Regiæ, de cuius posteritate supra.

LIBERI HERODIS.



ARISTOBVLVS à patre Herode strangulatus. *coniunx* BERENICE *filia Salomæ sororis Regiæ.*

AGRIPPA prior, Rex Iudeæ.	HERODES IIII. rex Chalcidis.	ARISTOBVLVS *cui fuit nupta* IOTAPA *regis* Emesorum *filia, ex qua habuit filiam* IOTAPAM *surdastrã.*	HERODIAS *desertrix mariti, ei fuit filia* SALOME, *quæ præmium bellæ saltatiunculæ petijt & accepit caput* IOHANNIS *Baptistæ.*	MARIANNE *desponsata primũ* Antipatro *filio* Antipatri, *Sed postea eam duxit pater* Antipater *filius* Herodis Magni.

Tertia coniunx Herodis MARIANNE Simonis pontificis filia, ex qua fuit.

|

HERODES II. coniunx HERODIAS neptis Herodis magni ex Aristobulo interfecto á patre.

habuit filiam.

|

SALOMEN nuptam aliquandiu PHILIPPO Tetrarchæ patruo, deinde ARISTOBVLO filio Herodis Chalcidensis regis.

Hanc Mariannen pauperis Sacerdotis filiam, cum propter excellentem formam amaret Herodes Rex, nec tamen honeste ea potiri aliter nisi per legitimũ matrimonium posset, patrem SIMONEM Boethi filium, summum Sacerdotem creat, remoto IESV successore Ananeli.

Ex ea genuit HERODEM II. quem in primo testamento, proximum regni hæredem post Antipatrum primogenitum instituit, sed postea propter matris delictum, ut supra dixi, iratus, mutato testamento, spe succeßionis omni eundem priuauit.

Huic HERODI. II. *qui postea semper priuatus uixit, scribit Iosephus nuptam fuisse* Herodiadem *Aristobuli á patre interfecti filiam, quam postea frater* Herodes ANTIPA *contra ius fasq; abduxerit. Sed ut dixi, cum* Euangelista Marco *pugnat hæc Iosephi genealogia, cuius talis est series:*

HERODES II. *ex Pontificis filia, priuatus.*	*coniunx*	HERODIAS *abducta cohabitat mariti fratri.*	HERODIANTIPAE, *Tetrarchæ Galilææ.*
PHILIPPO *Tetrarchæ, qui sine liberis moritur.*	SALOME *filia, duobus deinceps nupta, ex posteriore peperit.*	ARISTOBVLO *Herodis Chalcidensis filio, præfecto Armeniæ minoris.*	

HERODEM. AGRIPPAM. ARISTOBVLVM.

De quibus nihil inuenio.

Quarta Herodis coniunx MARTHACA
uel Malthaca Samaritana.
Ex ea nati sunt HERODI regi

ARCHELAVS qui successor in postremo patris testamento constitutus, ab Augusto fit ETHNARCHA

HERODES III. qui et ANTIPAS, Tetrarcha Galileæ & Pereæ, raptor Herodiadis, et interfector Iohannis Baptistæ, uulpes à Christo appellatus.

OLYMPIAS nupta Iosippo filio Iosippi fratris Herodis regis, cuius hæc est posteritas.

MARIANNE nupta — HERODI IIII. Chalcidensi regi. peperit filium.

ARISTOBVLVM, qui à Nerone Armeniæ minori præfectus, habuit coniugem SALOMEN filiam Herodiadis, ut paulo superius dictũ est.

Quinta Herodis coniunx
CLEOPATRA
Hierosolymitana.
Huius filij sunt.

PHILIPPVS a patre in postremo testamento factus Tetrarcha Trachonitidis.

HERODES de quo nihil legitur.

Sed cum hunc Philippum Iosephus li: 17. ca. 10 dicat esse fratrem γνήσιον Archelai, hoc est ab utroq; parente, suspicor eum antea in enumeratione filiorum Herodis Cap: 2. eiusdem libri, memoria lapsum esse, et ex eadem matre Marthaca natos fuisse Archelaum, Philippum, & Olympiadem, et ex hac Cleopatra solum Herodem, qui et Antipas dictus fuit. Vnde existimo esse, quod Iosephus huic Cleopatræ duos filios attribuit, Philippum et Herodem, cuius tamen nullam in historia mentiõem facit.

Credo igitur pro Philippo Antipam collocari sub Cleopatra debere, qui cum etiam Herodes diceretur, ab imperito aliquo duo filij ascripti sunt Cleopatræ, ut si dicam, Iulium & Cæsarem duos consules fuisse.

les fuisse. Hanc coniecturam confirmare uidetur, quod Archelaus profecturus Romam post mortem patris, Philippo, ut coniunctiori fratri, regni ac rerum suarum omnium curam commisit, non Antipæ, quem anteferre Philippo debuisset, si is germanus ex eadem matre frater fuisset.

Sed clarius hoc ostenditur ex eo, quod aperte dicit Iosephus ca: 12. & 13. li: 17. Archelaum euntem Romam, duxisse secum suam matrem Marthacam, quæ ibi quoq; mortua est, ante finitam controuersiam de successione, Et paulo post subsecutum Antipam, suam quoq; secum habuisse matrem. Necesse est igitur, diuersas ijs matres fuisse. Quare miror, cur Iosephus, quod in antiquitatibus perperam dixit, in historia belli Iudaici repetat, uidelicet ex eadem matre prognatos esse Archelaum & Antipam.

Sexta Herodis coniunx

PALLAS

Habuit filium PHASELVM, de quo nihil scribit Iosephus.

Septima

Septima

PHAEDRA

Quæ Herodi iam ſeni peperit filiam RHOXANEN.

Octaua

ELPIS,

Ex qua Herodi nata eſt filia SALOME.

Has duas filias Rhoxanen & Salomen puellulas adhuc, cum pater moreretur, Auguſtus poſtea duobus Pheroræ filijs iunxit matrimonio, quibus de ſuo dotem addidit ſupra legatum patrimonium uicenas quinas Myriades argenti ſignati, quæ ſumma, ſi drachmas Ioſephus intelligit, ut exiſtimo, facit uicena quina millia coronatorum.

Nona Herodis coniunx, fratris filia, quæ nomine caret apud Ioſephum.

Decima fuit Patruelis ſoror Herodis, ſimiliter ignota.

Ex his duabus nullam ſuſcepit Herodes prolem.

Hæc

Hæc tam numerosa soboles Herodis, intra septuaginta annos ferme uniuersa extincta est, cuius bona pars in priuata uita permansit, Hi pauci in rerum gubernatione et possessione aliqua paternæ dignitatis constiterunt, tres filij Herodis: Archelaus Ethnarcha, Philippus & Antipas Tetrarchæ. duo nepotes: Agrippa prior, rex Iudeæ, & Herodes IIII. rex Chalcidis, cui succeßit pronepos Herodis, Agrippa posterior, quo regnante, bellum Iudaicum gestum, et Hierosolyma euersa est. De his ordine breuiter dicam.

ARCHELAVS.

Vltimo testamento, ut dixi, successor regia potestate à patre constitutus, quatenus id Augusto probaretur, uix dum patris corpus sepelierat, cum motu in urbe facto, sua sæuicia populum a se abalienauit. Nam cum quidam cognati eorum iuuenum, quos supra dictum est ob deiectam auream aquilam uiuos combustos esse, in Pascatis festo circumeuntes lamentando et plangendo populum concitassent, ut pœnam de quibusdam delatoribus sumi flagitaret, et sacerdotem summum ab Herode circa finem uitæ constitutum, remoueri ab officio contenderet, Archelaus immisso equitatu in multitudinem, fœdam stragem edidit, tribus millibus partim confoßis, partim obtritis.

Post

Post hunc tumultum ad tempus sedatum, regni ac rerum omnium curam fratri Philippo committit. Ipse cum Marthaca matre & amicis Romam proficiscitur, ut petat ab Augusto testamentum patris confirmari.

Subsecutus impulsu Salomæ amitæ Herodes Antipas Romam, cum Archelao de succeßione coram Augusto contendit, fratris crudelitatem accusans, & Regnum sibi iure deberi potius quam Archelao ex eo probans, quod ipse hæres regiæ dignitatis solus scriptus sit in secundo testamento, cum pater Herodes adhuc animo & corpore ualuerit. Eam sani adhuc patris uoluntatem, plus ponderis habere debere, quam illam postremam sententiam iam morituri, cum nec mente nec corporis uiribus amplius sibi constiterit.

Aduenerunt aliquanto post eodem ex Iudea mißi à populo 50. Legati, qui regiam dominationem deprecabantur, & petebant Iudeam in prouinciæ formam redactam, à ducibus Romanis administrari, (id quod postea factum est, sed non cum magno Iudeorũ commodo) aut si omnino Princeps ex Herodis posteritate habendus esset, palam profitebantur, se æquiore animo Herodem Antipam Regem

laturos

laturos esse, quam Archelaum, qui, qua clementia & moderatione posthac in gubernatione usurus esset, euidentia documenta in primis statim diebus principatus dederit.

Interim dum controuersiam cognoscit, et cum amicis de ea consultat Augustus, ingentes motus Hyerosolymis primum, per Sabinum Cæsaris procuratorem, deinde in multis partibus Iudeæ extiterunt, cum aliquot obscurissimi homines, freti absentia Regis, collecta latronum manu, regiam sibi potestatem ac insignia uendicare ausi fuissent, quo tempore Iudea multis locis misere uastata est incendijs & cædibus, donec uirtute Quintilij Vari dissipatis latronum exercitibus, & seditionum autoribus ad duo millia in crucem actis, periculum discussum est.

Hi tumultus per literas à Varo nunciati Romam, mouerunt Augustum, ut certamine de successione finito, filios Herodis quam primum in Iudeam remitteret. Totum igitur Regnum Herodis in duas partes diuisit, quarum unam Archelao tradidit, cum ETHNARCHAE appellatione, quam dignitatem esse quidem maiorem Tetrarchia, sed inferiorem tamen regia potestate uoluit. Promisit tamen Augustus, se Archelaum Regem quoq; facturum,

rum, ubi ipsius in administratione industriam & moderationem cognouisset.

Alteram regni partem rursus in duas Tetrarchias diuisit, quas reliquis duobus fratribus commisit, Herodi Antipæ quidem Galileam & Peræam, quarum regionum annui reditus erant 200 talenta, hoc est, centum & uiginti Millia coronatorum. Philippo uero Bataneam, Trachonitidem, Auranitidem & Chalcidem, quæ pendebant annua talenta centum, hoc est, 60 Millia coronatorum.

Ethnarchia autem Archelai, continens Idumeam, Iudeam & Samariam, percipiebat quotannis sexcenta talenta, hoc est, trecenta & sexaginta millia coronatorum.

Reuersus in Iudeam Archelaus, odio subditorũ flagrans, quorum accusatione non solum regia potestate exutus erat, uerum etiam parum abfuerat, quin omni gubernatione semel excuteretur, crudeliter imperare cepit, & leuibus de causis ad supplicia trahere eos, quos noui status cupidos fuisse animaduerterat.

Polluit se etiam nuptijs lege Dei prohibitis.

Nam

Nam cum Roma rediens transiret per Cappadociam ad uisendum Archelaum Regem, adfinitate iunctum, reperit ibi Glaphyram iterum Viduam, quæ prius habuerat maritum Alexandrum, qui cum fratre Aristobulo à patre Herode interfectus fuerat, Post eius mortem ab Herode socero cum dote remissa ad patrem, nupserat Iubæ Numidarum Regi. Eo quoq; defuncto, redierat ad patrem. Amore igitur incensus Archelaus, repudiata, quam habebat, uxore Marianne, ducit fratris Alexandri coniugem Glaphyram, quæ mortua est paulo ante, quam Archelaus in exilium missus est, conterrita somnio, quo uisus est ipsi primus maritus impium connubium fratris exprobrare.

Deniq; cum multa crudeliter sine modo faceret Archelaus, ab optimatibus Iudeorum Romæ accusatus est, cum nouem annos Iudeæ principatum post mortem patris tenuisset. Quare ab Augusto accersitus ad causam dicendam, cum testium multitudine conuinceretur, Viennam in Galliam relegatus, in exilio mortuus est, nulla, quæ quidem nota sit, sobole relicta.

Archelai bona Romani imperatoris Fisco illata sunt, & regiones illius Ethnarchiæ administratæ

sunt aliquandiu per Romanos præsides, Coponium, Marcum, & Annium Rufum, qui singuli binos annos Iudeam administrarunt usq; ad mortem Augusti, cuius successor Tiberius misit in Iudeam Valerium Gratum, & post undecim annos Pontium Pilatum, qui & alia multa crudeliter fecit in Iudea, & IESVM CHRISTVM saluatorem nostrum ad crucis supplicium condemnauit, anno suæ gubernationis septimo, Tiberij imperatoris decimo octauo.

PHILIPPVS HERODIS *magni filius.*

Ab Herode patre in ultimo testamento scribitur Tetrarcha Trachonitidis, & uicinarum Regionum ultra Iordanem, á mari Tiberiadis seu Genesareth, usq; ad fontes Iordanis & radices Libani montis. Hanc suam Tetrarchiam summa cum laude iusticiæ & moderationis tranquillißime rexit annis 37. & ædificijs exornauit. Nam ad fontes Iordanis in Paneade, ubi pater Herodes olim extructum templum Augusto dedicauerat, urbem condidit, quam Cæsaream Philippi nominauit, & ad lacum Genesareth oppidulum Bethsaida maximis sumptibus ampliatũ et exornatũ, á coniuge Augusti Iuliadem appellauit.

Huic

Huic Philippo ſcribit Ioſephus matrimonio iunctam fuiſſe Salomen Herodiadis filiam, ubi Euangeliſta Marcus habet Herodiadem matrem Philippo nuptam fuiſſe, & deinde abductam cum fratre cohabitaſſe.

Mortuus eſt ſine liberis, anno uiceſimo Tiberij imperatoris, hoc eſt, biennio poſt crucifixum & reſuſcitatum Chriſtum, & ſparſum ex Iudea in uicinas gentes Euangelium per Apoſtolos. Tetrarchia eius Syriæ prouinciæ adiecta eſt á Tiberio.

HERODES ANTIPA.

In ſecundo teſtamento ſucceſſor patris ſubſtituitur. Sed mutato teſtamento Tetrarcha factus Samariam accipit & Peræam, quæ eſt regiuncula fertiliſsima trans Iordanem inter duos lacus, Tiberiadis & Aſphaltiten.

Sed non contentus hoc munere patris, fiducia prioris teſtamenti, cum fratre Archelao Romæ coram Auguſto de regni poſſeſsione contendere auſus, aliud nihil impetrauit, quam ſuam ſibi á patre legatam Tetrarchiam confirmari.

Coniugem habuit primum Aretæ Regis Arabū filiam annos amplius quindecim, Sed postea euocatus Romam, cum in transitu ad fratrem diuertisset Philippum Tetrarcham, uel ut scribit Iosephus, ad Herodem II. natum ex filia Pontificis, captus amore Herodiadis filiæ fratris sui Aristobuli, cum illa nuptias paciscitur, promittens se repudiaturum Arabicam mulierem.

Reuersus igitur ex Italia, Herodiadem cum filia Salome á fratre abducit, qua iniuria offensa Aretæ filia, clam ad patrem in Arabiam aufugit, unde postea luctuosum bellum exortum est. Nam Aretas iniustum diuortium filiæ uindicaturus, maximum exercitum contra Herodem misit, à quo, commisso prælio, Herodis copiæ ingentes cæsæ sunt.

Hic Herodes Antipa etiam Iohannem Baptistam in uinculis aliquandiu habuit, in oppido munitißimo Macherunte, sito in finibus Peræ & Arabiæ, iuxta Asphaltiten lacum, eo quod nefarium hoc connubiū cum fratris coniuge, palam reprehenderat Iohannes. Tandem adultera Herodias arte perfecit, ut sanctißimus uir capite truncaretur.

Idem

Idem Herodes insidijs opprimere uoluit Christū quoq; in Galilea docentem, & postea missum captum à Pilato, cū contumelia à se dimisit, cum noluisset Christus ipso petente & expectante signum aliquod edere.

Exornauit & ipse Tetrarchiam suam ædificijs. Nam Galileæ urbem Sephorim magnis impensis munitam appellauit Autocratoridem. Aliam Betharante instauratam in honorem Iuliæ coniugis Augusti Iuliada uocauit.

Post mortem Augusti, cum esset Tiberio amicißimus, in eius gratiam nouam urbem condidit iuxta lacum Genesareth, quam Tiberiadem appellari mandauit.

Sed cum ille locus esset cadauerum ibi sepultorum aceruis inquinatus, ita ut Iudeis per legem Mosi non liceret inhabitare, magnis commodis & immunitatibus promißis, illexit aliquos, ut ibi ædificarent, plurimis tenuioribus ipse domos extruxit, quosdam potentes ui coegit aliunde translatis suis familijs in nouam urbem commigrare.

Postea anno secundo imperij Caij Caligulæ, cum Agrippa Herodiadis frater, præter omnium spem ex Roma in Iudeam, regia dignitate ornatus, esset reuersus, Herodes coniugis assiduis conuicijs urgetur, ut Romam profectus, ipse quoq; regia insignia ab imperatore peteret. Neq; enim ferendum esse dicebat mulier ambitione ardens, ut Agrippa frater, paulo ante egentissimus, tantoq; ære alieno oppressus, ut parum abfuerit, quin à creditoribus necteretur, nunc regio diademate conspicuus, potentia & dignitate superaret patruum & quasi nutritium suum, Antipam, qui à patre Herode in secundo testamento fuerit dignus regno iudicatus.

His stimulis superbæ mulieris incitatus Antipa, Romam cũ Herodiade contendit, et à Caio imperatore Regium nomen & dignitatem flagitat, multis atrocibus accusationibus Agrippam inuisum imperatori reddere studens.

Sed Agrippa consilio & profectione patrui intellecta, eum anteuertit missis per libertum suum literis, quibus docuit Caium, quod & antea Herodes Antipa fuerit conscius conspirationis Sciani contra Tiberium, & nunc occulte nouas res molitur,

atur,

atur, inito fœdere cum Rege Parthorum, contra Caium, eiusq; rei signum esse, comportationem assiduam omnis generis armorum, quorum tantam uim iam conuectam poßideat Antipa, ut septuaginta millium exercitum armare repente poßit.

Hoc amici indicio commotus Caligula, cum interrogasset Herodem, nunquid armorum in Tetrarchia sua in parato haberet, & is se instructum regio apparatu dixisset, mox ad exilium perpetuum deportari Lugdunum in Galliam Herodem iußit, & bona illius uniuersa una cum Tetrarchia Galileæ & Peræa per literas donauit Agrippæ Regi, exceptis ijs, quæ Herodiadis sororis essent propria, quæ iubebat innocenti mulieri, ut putabat, seruari integra, si uellet in Iudeam reuerti. Sed Herodias Caio pro liberalitate gratias egit, uerum se illa in præsentia uti non posse professa est, quod nefas existimaret, maritum in hac calamitate deserere, cuius fortunæ, dum floruisset, ipsa semper fuisset socia ac particeps.

Hæc cum mulier ingeniosa dixisset eo consilio, quod sperauerat Imperatorem hoc modo flecti posse, ut sententiam de atroci supplicio Herodis mutaret, nec ipsam quoq; innocentem eodem pœnæ

genere condemnaret, Caius magis offensus ea magnitudine animi, Herodiadem quoq; spoliatam omnibus fortunis cum marito in exilium ire iussit.

Hoc triste malum sibi ipse accersiuit Herodes, dum obsequitur futilißimis suasionibus ambitiosæ mulieris, qui summa cum tranquillitate diutius suam Tetrarchiam tenere potuisset, si sorte sua contentus uiuere uoluisset.

Sed hanc pœnam ambo meruerunt eo, quod incestis nuptijs commixti, deq; illius peccati magnitudine admoniti, innocentißimum uirum Iohannem Baptistam iniquo prætextu religionis iurisiurandi interfecerunt.

Secuta est igitur hæc calamitas decennio fere post obtruncatum Iohannem, anno octauo post, quam IESVM Christum uinctum ad se missum, per ludibrium ueste splendida donatum, ut hominem fatuum, rursus à se abegit Herodes.

De eius posteritate nihil extat. Sed principatus Iudeæ à filijs Herodis magni ad nepotes eius ex alio filio Aristobulo & Marianne Asmonea, Agrippam uidelicet, & Herodem transijt, quorum maiores & sobolem hic adscripsi:

MARIANNE—HERODES—ſoror SALO=
Aſmonea Magnus ME

ARISTOBVLVS | coniunx BERE=
a patre occiſus. NICE.

Cypris—filia Salomæ, ſororis Ariſtobuli.	AGRIPPA prior, Rex Iudeæ totius.	HERODES IIII Rex Chalcidis.	ARISTOBVLVS.	HERODIAS	MARIANNE.

AGRIPPA poſterior, Rex Chalcidis.	DRVSVS moritur adoleſcens.	BERENICE nupta patruo HERODI, Chalcidis Regi. Eo mortuo nupſit Polemoni Ciliciæ Regi.	MARIANNE Archelao Helciæ iuncta, peperit BERENICEN, Ab eo digreſſa nupſit Demetrio Alexandrino, ex quo ſuſcepit AGRIPPINVM.	DRVSILLA formoſiſsima puellula adhuc ſex annorũ á patre deſponſata fuit Epiphani, Antiochi Regis Comageni filio. Sed cum is recuſaret circumcidi, frater Agrippa elocauit eam Aziazo Emeſorum

rum Regi. Postea Felix, Pallantis frater, præses Iudeæ, uarijs promissis eam á marito abductam uxorem accepit, ex qua natus est ei filius AGRIPPA, qui cum uxore perijt in Vesunij montis incendio, quod sub Tito imperatore horribiliter in Campania grassatum est. Drusillæ huius, nuptæ Felici, fit mentio á Luca Actorum 24. Cap.

AGRIPPA PRIOR, qui & HERODES dictus est. Actorū 12. cap: Rex Iudeæ.

Paulo ante mortem aui Herodis magni, puer octo annorum Romam missus, cum Druso Tiberij filio educatus est, & carissimus fuit Antoniæ matri Germanici & Claudij imperatoris, propter Berenicen matrem, quam sororis loco dilexit Antonia.

Iam adultus, cum Drusus mortuus esset, paterq; Tiberius omnes filij amicos domo sua exigeret, ne conspectu illorum dolor de filij morte recrudesceret, Agrippa in Iudeam redijt, cum Romæ largitionibus non modo res suas profudisset, sed etiam æs alienum grande contraxisset.

Quare egens ac desertus á proximis, cum aliquandiu

quandiu cum uxore Cypride oberrasset, tandem pudore inopiæ mortem sibi adferre decreuit. Sed coniunx Cypris supplex facta Herodiadi sorori Agrippæ, impetrauit, ut Herodes Antipa Tetrarcha, in noua urbe Tiberiade, Agrippæ domum construeret, & aliquos reditus annuos donaret.

Non diu fuerat usus hoc sui affinis beneficio Agrippa, cum Herodes inter pocula nescio quo dicto liberiore offensus, Agrippæ mendicitatem obijcit, & suam liberalitatem exprobrat.

Quare indignatus Agrippa, reiecto munere Herodis, per libertum quendam suum aliquid nummorum graui fœnore nactus, denuo Romam ire, ibiq; fortunam suam experiri statuit. Cumq; Tiberium in insula Capreis salutasset, & aliquot dies amanter fuisset habitus, uenerunt literæ ex Iudea à quodam Cæsaris procuratore, quæ significabant Agrippam Fisco imperatoris debere 30. millia coronatorum, ac solutionis diem iam aliquoties arte elusisse.

Ibi iratus Tiberius interdicit Aprippæ usum consuetudinis suæ, donec creditum soluat. Aegre igitur per Antoniam pecunia illa confecta et soluta, Tiberius placatus est, adeo, ut nepoti suo Tiberio Gemello Agrippam custodem adiungeret,

Sed

Sed paulo ante mortem Tiberij, rursus eius gratia excidit Agrippa. Nam quodam tempore cũ Caio nepote Tiberij adoptiuo cœnans, inter cæteros sermones cõuiuales optauit quamprimum mori senem Tiberium, ut ad imperium euehi Caius mature posset. Hoc uotum cum Tiberio indicatum esset, Agrippa in carcerem iussu Tiberij abreptus, integrum semestre custoditus fuit, donec mortuo Tiberio, Caius militum ope, & patris Germanici gratia imperium adeptus, uinculis eum exemit, & interiectis paucis diebus, regio diademate ornatum, præfecit illis regionibus, quas prius Philippus Tetrarcha & Lysanias possederant, & donum addidit auream catenam, æquantem pondus ferreæ illius, qua in carcere constrictus fuerat.

Annum unum cum Caio Romæ commoratus Agrippa, ueniam impetrat in Iudeam redeundi. Qui igitur antea ob summam egestatem & æs alienum non modo contemnebatur, uerum etiam nusquam tuto per creditorum flagitationes consistere poterat, iam regio habitu, comitatu, & opibus insignis, omnibus admirationi, aliquibus etiam terrori fuit, qui illum priuatum & egentem aut non iuuerant, aut etiam contumeliose repulerant.

Paulo

Paulo post dono accepit à Caio Caligula Galileam quoq; & Peræam, cum omnibus opibus æmuli sui Herodis Antipæ, & Herodiadis sororis, ut dictum est.

Quare rebus in regno constitutis, cum ingentibus muneribus Romam repetit, ut uicissim aliquibus se officijs pro tanta Caij munificentia gratum præstet.

Accidit autem illo tempore, quo Romæ fuit Agrippa, ut orta contentione inter ciues Alexandrinos & Iudeos in eadem urbe habitantes, Legati utrinq; mitterentur ad Cæsarem, inter quos etiam Philo Iudeus fuit, cuius testimonio in hac historia aliquoties usi sumus. Vbi cum Iudei ab Apione quodam Græco atrociter essent accusati, cum de alijs delictis, tum in primis de pertinaci contemptu imperatoriæ maiestatis, quod in tota illa urbis parte, quam Iudei incolerent, nullas statuas aut imagines Caij Cæsaris tolerarent, sed ab alijs positas cum summa contumelia mox reuellerent: quasi furore correptus Caligula, Iudeorum legatos duriter à se repulit, & Petronio, quem sub initium imperij sui in Iudeam præsidem miserat, per literas mandauit, ut primo quoq; tempore statuam imperatoris, uel cum gratia Iudeorum, uel ui armorum in templo Hierosolymi-

solymitano, & in loco illius sacratißimo poneret.

Huic mandato ut obtemperaret Petronius, cum suspicaretur rem difficilem fore, legiones & auxilia undiq; quam instructißima conuocat, et cum ualidißimo exercitu ex Syria Ptolemaidem usq; ascendit, unde per Legatos & literas Iudeis causam infesti aduentus sui, & mandatum Cæsaris exponit, & petit, ut sibi cum uoluntate populi, imperata facere liceat, potius quam uim experiri.

Hoc nuncio consternati Iudei, maxima frequentia ex urbibus & agris inermes accurrunt Ptolemaidem, & impij mandati executionem deprecantur, ostenduntq; se paratos extrema omnia ferre potius, quam permissuros, ut templum Dei, statua hominis imposita, polluatur.

Petronius contra monet, ne sua pertinacia causam cædibus et uastationi totius regionis præberent, Cæsaris seuera iussa allegat, eiusq; in se merita commemorat, & implacabilem iram in parum obsequentes, exemplis aliquot atrocißimorũ suppliciorum exponit. Se quidem cupere tantæ multitudini parcere, sed in præsentia rationem nullam esse, quin cogatur

cogatur uoluntati imperatoris satisfacere, cuius iussa nemo sine suo horrendo exitio neglexerit. Quare se quoq; potius capitis discrimen præliando cum tota gente, aditurum, quam mandata sui imperatoris contempsisse uideri.

Tum multitudo instare, & orare, daret ueniam religioni ipsorũ, & iustæ constantiæ, si Deum conditorem cœli & terræ, plus timentes, & illius horrendam iram ob uiolata ipsius præcepta aliquoties experti, nunc huic impiæ postulationi imperatoris sese opponerent, cum ipse Petronius palam fateatur, se unum hominem, cuius tamen uita in incerto sit, tantopere metuere, ut sibi illius mandata non existimet tutum uiolare.

Hanc gentis obstinationem admiratus Petronius, & dimissa concione anxius animo, incertusq; quid faceret, conuenitur ab Aristobulo Agrippæ Regis fratre, & alijs Principibus Iudeæ, & priuatim monetur, ac rogatur, ne propter imperatoris nefarium mandatum, tantæ multitudinis innocentis sanguine se contaminet, & imperio Romano sempiternam inauditæ crudelitatis notam inurat, deleta tota gente, ob negatum statuæ locum in templo sacratissimo, quem honorem diuinum nemo sanus expeteret.

expeteret, & multi oblatum ultro, sæpe detestati sint. Scriberet igitur ad Imperatorem, & gentis pertinax studium in defensione doctrinæ & cultuum diuinitus traditorum aperiret, & quibus modis posset, animum Caij á crudeli sententia deduceret. Quod si ferus imperatoris animus non flecteretur, tum demum, si liberet, armis rem tentari posse.

Petronius ut propius res Iudeorum exploraret, & animos acrius pertentaret, Tiberiadem cum exercitu proficiscitur, quo rursus multæ myriades Iudeorum confluxerunt, enixe prophanationem templi deprecantes. Ibi Petronius, ergo bellum geretis, inquit, cum Cæsare, neq; imperij Romani potentiam metuentes, neq; cogitantes, quam uestræ uires non sint pares tantæ moli sustinendæ? Non quidem armis, clamant Iudei, tantæ potentiæ resistemus, sed omnes nos potius mactari sinemus, quam cernere uelimus, contra legem Dei, statuam Cæsaris in sacratißima templi nostri parte collocari, & cum hoc dicto sese humi prosternunt, ceruices præbentes percussuris.

Petronius postquam uidit Iudeos animis adeo obfirmatis & inuictis, citius uitam amissuros, quam templi

templi uiolationem admissuros, & agriculturam totos quadraginta dies neglexisse, tempore maxime necessario, quo agri conserendi erant, re cum amicis deliberata, scribendum ad Caium imperatorem censuit.

Conuocatam igitur undiq; ad urbem Tiberiadem Iudeorum multitudinem, terrorisq; causa armato milite & equitatu instructo ab omni parte cinctam, denuo de mandato seuerißimo Imperatoris Romani, de aliarum gentium in eadem causa obsequio, de suo & ipsorum periculo edocet, si imperata non fiant. Quare hortatur Iudeos, ut patiantur satisfieri imperatori iracundo, & sæuo uindici neglectorum mandatorum.

Sed cum tota multitudo una uoce exclamaret, pluris se facere Dei mandata, quam hominis imperium, nec defugere mortem, ferirent modo Romani, & occisis omnibus Iudeis templo uacuo uterentur pro libidine.

Ibi demum commotus misericordia Petronius, facto rursus per preconem silentio, quandoquidem igitur, inquit, decretum uobis, est mortem oppetere potius, quam Dei uestri legem uiolare, non ego is esse uolo, qui templum uestrum, pro quo tantopere

laborare uos uideo, impia obedientia polluam, aut imperatori meo tam crudelis facinoris administer sim, sed me potius uestri periculi ultro participem faciam, quam tantæ multitudinis innocenti sanguine meam incolumitatem redimam.

Quare fruimini ista pietate uestra, & ad agrorum culturam diu intermissam reuertimini. Ego quod potero, conabor per literas & amicos uos purgare, et imperatorem de concepta animi sententia dimouere, Vbi siquid in me iratus Cæsar asperius statuerit, libenter illud perferam, dummodo sciam meo interitu tantam gentem in tam pio studio periclitantem, conseruatam esse. Vos Deum comprecamini, ut hoc quod molior uestræ salutis causa, uobis omnibus fœliciter eueniat.

His auditis Iudei uehementi gaudio perfusi, honorificis acclamationibus Petronij pietatem prædicabant, eiq; fausta omnia precabantur, ac pro fœlicis successus omine accipiebant largißimum imbrem, qui dimissa concione subito decidit, cum toto illo die, et mensibus aliquot præcedentibus, cœlum constanter serenum, æstu diuturno arua torruisset,

Hæc

Hæc dum in Iudea geruntur, Rex Agrippa, qui Romæ motum gentis suæ, et causam illius cognouerat, magnificentißimo conuiuio acceptum Caium, prouocare omnibus generibus deliciarum ad hilaritatem studuit. Cumq; Caius facile intelligeret, Agrippam captantem aliquid, hos tantos sumptus fecisse, ultro hortatus est, ut quicquid sibi ab imperatore tribui uellet, audacter posceret, securus repulsæ.

Tum Agrippa Caium, expectantem petitionem de regni locupletatione, hoc unum longa oratione rogauit, ut ueniam daret Iudaico populo, si metu diuinæ pœnæ nõ reciperet statuam ipsius intra templum Hierosolymitanum.

Hoc cum denegare amico Caius non auderet, scribit ad Petronium, collaudans eius officium, quod mandata exequi studuerit, et addit, si iam collocata sit uolente populo statua in templo, ut eam ibi relinquat. Sed si populus eam nondum introduci passus sit, nihil uiolentum conetur.

Sed paulo post, cum literas à Petronio accepisset de motu gentis Iudaicæ, mutato animo, ægre ferens nullam uim esse tentatam à duce suo, scribit Petronio, ut nisi Romam pertractus acerbißimis cru

ciatibus excarnificari uelit, sibi mortis genus eligat, quo ipse pœnas à se contempti imperij exigat.

Diuinitus autem accidit, ut hanc atrocem Epistolam deferens nauis, aduersis tempestatibus impedita sit, & aliæ literæ citius in Iudeam perferrentur, quibus nunciabatur fœdißimus, sed tali portento dignißimus interitus Caligulæ, paulo post scriptas ad Petronium literas illas minaces, interfecti à Chærea & alijs coniuratis, cum coniuge & filia.

Ita Petronius cognita nece Caij, iam liberatus metu, demum accepit literas alteras, mortem imperantes. Vnde agnouit, se diuina ope seruatum esse ob benefacta in gentem Iudaicam.

Sub id tempus Claudius per milites Imperator salutatus, cum ope & consilio Agrippæ Regis Romæ adhuc commorantis, adiutus fuisset, Agrippæ regnum à Caio donatum edicto publico confirmauit, & adiecit Iudeam, Samariam, & reliquas omnes partes, quas auus Agrippæ, Herodes Magnus tenuerat, insuper etiam Lysaniæ Tetrarchiam Abelam addidit, ac Ciliciæ partem, & Comagenam Antiocho ademptam.

Fratri

Fratri uero Agrippæ, HERODI quarto, Chalcidis regnum tradidit.

Ita magnifice donatus Agrippa primo anno imperij Claudij, in Iudeam reuertitur, & Deo gratias acturus, Hierosolymam ascendit, ubi maximis impensis celebrata festiuitate, auream catenam donatam á Caligula, monumentum suarum calamitatum & diuinæ liberationis, in templo suspendit.

Postea urbem Hierosolymam munire aggressus est tanto apparatu, ut Claudius ueritus, ne fiducia talis munitionis Iudei aliquando deficerent, per literas Agrippam absoluere institutum opus prohibuerit.

Munificentißimus etiam erga subditos fuit, & in primis traditionum legis patriæ superstitiose obseruans, quas cum ab Apostolis Christi conuelli audiret, ut sibi magis conciliaret sacerdotum & uulgi studia, cum alios discipulos Christi interfecit, tum Iacobum quoq; fratrem Iohannis, filium Zebedei, supplicio affecit, & Petrum Apostolum in uincula coniecit diebus Azymorum, producendum transacto festo ad populum. Sed quomodo Petrus ob aßiduas preces Ecclesiæ, liberatus sit, copiose

narrat Lucas capite 12 actorum, ubi etiam tristem exitum huius Herodis Agrippæ describit. Congruunt autem cum illa Lucæ Historia ea, quæ Iosephus de morte huius Agrippæ narrat, quæ se in hunc fere modum habent:

Cum tres annos iam Rex totius Iudeæ fuisset Agrippa, quarto anno uenit Cæsaream, ubi celebrauit festum maxima frequentia Iudeorum, editis ludis sumptuosißimis pro salute Claudij Cæsaris.

Altero ludorum die mane in Theatrum progreditur, indutus ueste tota intertexta argenteis filis mirabili artificio, in quam cum primi radij solis inciderent, splendorem ex reflexu spargebant tam illustrem, ut oculi intuentium perstringerentur fulgore uestis. Quare assentatorum aliqui regem concionantem interpellantes acclamationibus, Deum appellabant, & ueniam petebant, quod hactenus eum ut hominem tantum timuerint, cum nunc supra humanam naturam augustiorem ipsius speciem cernant.

His uocibus cum non offenderetur Rex, neq; assentatorum impios clamores compesceret, subito

intesti=

intestinorum dolore accrrimo correptus, ægre in Regiam est relatus, ubi post maximos cruciatus quinto die extinctus, pœnas dedit crudelitatis, qua in membra recentis Ecclesiæ Christi sæuierat, erga alios homines tam exteros quam gentiles benignißimus simul, et mitißimus.

Regnauit in uniuersum annis ferme septem. Nam Tetrarchiam Philippi tres annos sub Caio Caligula, quatuor reliquos annos totius Iudeæ regnum tenuit, mortuus anno ætatis 54. tertio anno Claudij Cæsaris, duodecimo post resurrectionem Christi.

Eius posteritas supra indicata est, de qua filius natu maximus AGRIPPA, decem et septem annorum fuit iuuenis, cum pater obijt, cui etsi Claudius cupiebat paterni regni succeßionem tradere, tamen per quosdam imperatoris libertos effectum est, ut regiones omnes, quæ patri subiectæ fuerant, denuo in prouinciæ formam redigerentur, et missus est in Iudeam primum á Claudio præses CVSPIVS FADVS.

HERODES IIII. CHALCIDIS Rex, nepos Herodis Magni, frater Agrippæ prioris.

Hunc discernendi causa Herodem quartum nominaui aliquoties, qui priuatus uixit, donec Agrippæ fratris precibus motus Claudius, primo imperij sui anno, ei Chalcidis regnum donauit, cui præfuit octo annos, superstes fratri Agrippæ tantum quinque annos.

Post mortem fratris cum missus esset in Iudeam Cuspius Fadus, isque conatus fuisset custodiam Stolæ & reliquorum ornamentorum summi Sacerdotis, á Pontificibus ad Romanos præsides transferre, hic Herodes rogatu Iudeorum profectus Romam, causam quidem Sacerdotum adiuuit, & obtinuit, ut ornatus summi sacerdotis fide & diligentia collegij Sacerdotum custodiretur, cæterum petijt & impetrauit á Claudio, sibi mandari curam & custodiam sacræ pecuniæ in templo Hierosolymorum, & potestatem fieri, remouendi ab officio summos sacerdotes ob graues aliquas causas, & substituendi alios magis idoneos, quæ res quæstuosissima erat regibus, cum sacerdotes maximis largitionibus certarent de possessione pontificiæ dignitatis.

Cuspio Fado in Iudea præside, Theudas quidam

præstigijs


præstigijs deceptam multitudinem eduxit ad Iordanem, pollicitus se, diuiso flumine, pedibus eos traducturum esse. Sed Fadus mißis equitibus uiuum captum Theudam, occidit, et cætum illi adiunctum dißipauit. Theudæ huius meminit Gamaliel in actis Apostolicis cap. 5.

Fado successor missus est à Claudio Tiberius Alexander, sub quo extitit illa horrenda fames in Iudea, quæ ab Agabo prædicta fuit, Actorum undecimo, & fuit circa annum Claudij sextum uel septimum. Eam liberalitas Helenæ reginæ Adiabenorum leuauit aliquantulum, importato frumento ex Aegypto, & ficis ex Cypro. Miserunt etiam Ecclesiæ Græcæ, & Asiaticæ collatas pecunias ad alendos in Iudea fratres fame laborantes.

Anno octauo Imperatoris Claudij, Herodes Chalcidis Rex moritur.

Habuit duas coniuges deinceps, Priorem Mariannen filiam Olympiadis, neptem Herodis Magni, ex qua natus est ei Aristobulus.

Postea duxit Berenicen fratris Agrippæ filiam, ex qua suscepit duos filios, estq; hæc series posteritatis illius, quam tamen belli Iudaici cladibus absumptam fuisse est credibile.



HERO=DEM. AGRIPPAM. ARISTO=BVLVM.

Horum nullam, quod sciam, alibi men=tionem facit Iosephus.

Agrippa

AGRIPPA POSTERIOR, PRONEpos Herodis Magni, Postremus Rex in parte quadam Iudeæ.

Hic septendecim annos natus, cum pater Agrippa mortuus est, apud Claudium Romæ fuit, nec statim patri suffectus est, dissuadentibus id libertis Claudij, qui prætexebant, ætatem adolescentis ad gubernandum tantum regnum, & ad cohercendum adeo contumacem populum nondum esse idoneam. Sed reuera ipsi inhiabant præfecturis illarum regionum, ex quibus ditescere possent.

Sed quinquennio post obitum patris, mortuo Herode patruo, á Claudio regnum Chalcidis accepit, agens annum ætatis uicesimum secundum, una cum potestate ea, quam patruus habuerat, custodiendi Thesauros templi Hierosolymitani, & creandi summos sacerdotes, qua potestate strenue est usus Agrippa. Nam breui interuallo aliquot summos sacerdotes in ordinem redegit, substitutis alijs pro arbitrio.

Sub initium regni huius Agrippæ, Tiberio Alexandro præsidi missus est in Iudeam successor CVMANVS, qui duriter adflixit Iudeam, in qua omnia iam uergebant ad eum, qui postea secutus est, interitum.

Nam cum in festo Pascatis, pro more cohors militum iuxta templum in excubijs staret, quarto die Azymorum quidam ex Romanis nudatas obscœnas corporis partes populo sacris occupato obuertit. Ea contumelia irritati Iudei, conuicijs incessere cœperunt Cumanum præsidem, quod hanc militum petulantem impietatem non atrocibus supplicijs uindicaret.

Cumanus et probra populi indigne ferens, & uim concitatæ multitudinis metuens, mox legiones armatas una cum equitatu clam accersit, quæ cum de improuiso se ostendissent, tantum terrorem inermi multitudini incusserunt, ut orta trepidatione et fuga, in angustijs platearum supra uiginti millia hominum utriusq; sexus obtrita sint. Vnde maximus luctus in tota gente fuit.

Subsecutus est statim alius tumultus mitiore tamen euentu. Iudei quidam latrocinantes, Claudij imperatoris ministrum Stephanum in uia publica bene mulctatum, rebus omnibus spoliauerant. Cumq; authores explorari non possent, iratus Cumanus, in tota illa uicinia, ubi id facinus commissum fuerat, omnes pagos diripi iußit. Hoc facto, cuidam militi in præda oblatus est liber continens Moisi & pro=

phetica

phetica ſcripta, quem ille per ludibrium prolatum in publicum, inſpectantibus Iudeis, totum diſcerpſit.

Ibi concurſu facto, ingens multitudo Iudeorum Cæſaream proruit, ubi erat conſueta ſedes præſidum Romanorum, & authorem huius impij facti ad pœnas depopoſcit, quem niſi Cumanus ſuaſu quorundam, ut populo ira furenti ſatisfieret, ſecuri percuſſiſſet, non fuiſſet ille motus ſine multo ſanguine ſedatus.

Poſtea cum aliquot Galilei ad feſtum Hieroſolymam aſcendentes, à Samariæ incolis eſſent interfecti, plurimæ cædes utrinq; aliquandiu factæ ſunt, dum utraq; pars ſtudio uindicandi ſemper recentiſſimas iniurias, latrocinantium more ferro et igni obuia quæq; deuaſtat.

Eam graſſationem uicinorum, cum corruptus pecunia Cumanus non conaretur compeſcere, accerſitus ab altera parte Quadratus, Syriæ præſes, cauſa cognita, et occiſis tumultus authoribus, Cumanum Romam mittit ad dicendam cauſam male adminiſtratæ prouinciæ. Eum crudelitatis & auariciæ conuictū Claudius in exilium eiecit, & CL. FELICEM, Pallantis fratrem, præſidem Iudeæ et Samarie

fecit,

fecit, qui iam dudum in Palestinam missus, Philippi Tetrarchiam aliquandiu gubernauerat, ut ex Cornelio Tacito intelligitur.

Eodem fere tempore, hoc est, anno imperij duodecimo, Claudius Regi Agrippæ Philippi Tetrarchiam, iam præside carentem, hoc est, Trachonitidem, Bataneam, ac præterea Abelam, Lysaniæ Tetrarchiam, dono dedit, & Chalcidis regnum tradidit patruo ipsius, Aristobulo, Agrippæ prioris, & Herodis Chalcidensis fratri.

Ab eo tempore indies res Iudaicæ deteriore loco esse ceperunt, orto principio á Felice præside, qui cum ob rapinas & alia scelera esset obiurgatus á Ionatha summo sacerdote, nec tamen metu populi eum excutere pontificia dignitate auderet, subornauit sicarios, qui cum multitudine ad festum ingreßi Hierosolymam, et summum sacerdotem Ionathan, & alios plurimos designatos adeo occulte occiderunt, ut in turba facile laterent.

Hic conatus cum Sicarijs semel succeßisset, postea in omnibus festis aliquando ab alijs mercede conducti, aliquando etiam sua cupiditate aut odio impulsi, idem facinus cum miserabili strage bonorum

uirorum,

uirorum, et metu omniũ, patrare sunt ausi, cum nemo cauere satis quenquam posset, adeo in multos illa audacia spe impunitatis ob negligentiam præsidis peruaserat.

Grassabantur etiam in agris latronum globi, etsi multos illorum Felix comprehensos supplicio subijciebat. Sed ita iam erat illud malũ incuria præsidum priorum quoq; confirmatum, ut nulla seueritate pœnarum tolli amplius posset.

Quin etiam fouebantur latrocinia dißidijs summorum sacerdotum, quorum ut quisq; erat pecunia instructior, ita alebat maiorem circa se perditissimorum nebulonum manum, quorum opera aduersarios suos occultis insidijs opprimere conabatur.

Anno XIII. Imperij Claudij, Paulus Apostolus Hierosolymis captus, & Cæsaream abductus, causam coram Felice & Drusilla dixit, ut refert Lucas Actorum cap. 24. quem deinceps quoq; Felix sæpe accersitum audiuit, sperans Paulum pecunia sese redempturum. Sed cum biennium totum in uinculis eum habuisset, decedens ex Iudea, reliquit Paulum uinctum in gratiam Iudeorum.

Extincto Claudio Cæsare anno imperij decimoquarto, Nero sub initiũ imperij sui Agrippæ regnũ

auxit

auxit addita parte Galileæ, & urbibus Tiberiade, Tarichea, & Iuliade.

FESTVM mox in Iudeam misit Portium, reuocato domum Felice, quem subsecuti Cæsarenses, de crudelitate, rapacitate & alijs sceleribus accusarunt. Sed Felix Pallantis fratris artificio liberatus euasit.

Portius Festus statim ut in Iudeam uenit, Paulum audiuit Cæsareæ, accusantibus Iudeis, quem cum uellet Hierosolymam mittere, Paulus rabiem & insidias sacerdotum metuens, prouocat ad Cæsarem Neronem.

Paucis diebus interiectis, cum noui præsidis salutandi causa Agrippa quoq; Cæsaream cum sorore Berenice uenisset, quæ mortuo marito Herode Chalcidensi, adeo familiariter cum fratre uiuebat, ut non abesset incestæ consuetudinis suspicio, productus Paulus, coram ijs quoq; causam suam egit luculenta oratione, qua innocentiam suam ita probauit, ut Regis iudicio existimaretur dimitti posse, nisi prouocasset ad Cæsarem.

Non multo post mittitur Paulus cum alijs captiui Romam, anno primo Imperij Neronis.

Agrippa

Agrippa inde profectus Hierosolymam, grauiter offendit Sacerdotes, extructo altißimo quodam ædificio in Regia domo, uicina templo, ex quo poterat omnia uidere, quæ in interiore parte templi à sacerdotibus in administratione sacrorum gererentur, quod nefas arbitrati Sacerdotes, ad latus templi murum æque altum excitarunt, quo non modo templi, sed etiam partis urbis conspectum ademerunt Agrippæ. Cumq; Rex flagitaret nouum murum templi iterum dirui, sacerdotes per Poppeam Augustam obtinuerunt, ut eam in templo ædificationem Nero approbaret.

Quare indignatus Agrippa, remoto summo sacerdote Iosepho, suffecit Ananiam ex factiõe Sadduceorum, hominem audacem & crudelem, qui, cum mortuus esset in Iudea Festus præses, & ALBINVS successor in itinere diutius hæreret, nactus occasionem, cum in alios pios homines sæuiciam exercuit, tum IACOBVM Iosephi filium, fratrem Domini nostri IESV CHRISTI ex alia matre, uirum omnium Hierosolymitanorum iudicio præstantißimum innocentia uitæ & pietate, præcipitatum de templi muro, lapidibus obrui iußit, circa sexagesimum annum post Christi natalem.

Ob hoc indignum facinus accusatus coram Agrippa, metuente Romanum præsidem Albinum iam aduentantem, & populi iram, est ab officio deiectus, cum tres menses tantum summo sacerdotio præfuisset.

Sed ne sic quidem desijt Ananias sæuire in suos collegas. Nam cum esset potentißimus, plurimos habuit conductos latrones, quorum opera non tantum utebatur ad tollendos occulte aduersarios, sed etiam per eos effractis horreis, decimas sacerdotum ibi repositas diripuit, idq́; cum sæpe & impune faceret, multi ex grege Sacerdotum tenuiores, fame perierunt.

Albinus auaricia insatiabili inflammatus, neglectis omnibus rebus alijs, in hoc unum studebat, ut quibus posset modis opes cumularet. Quare & in Pontificum, aliquid largientium, sceleribus omnibus conniuebat, & captos latrones, si à parentibus, aut cognatis redimerentur pecunia, dimittebat: Ita tota Iudea breui tempore facinorosorum multitudine repleta, agebatur & ferebatur sine uindice, nec erat ullum flagitium tam atrox, cui non ueniam impetrare pecunia posset.

Huic hirudini successor missus est GESSIVS Florus.

FLORVS. Is demum Albini rapinas ita superauit alijs maioribus sceleribus, ut innocens præ illo Albinus uisus, à Iudeis desideraretur: Adeo hic non occultis artibus, ut antecessor, sed aperta ui, etiam insuper insultans, rapiebat, faciebat, statuebat, quæ libuerant, idq́; unum agere uidebatur, quasi ad hoc ipsum fato Iudeorum missus, ut eos irritatos iniurijs, & excæcatos cupiditate uindictæ, in exitium præcipitaret.

Adiuuabat eum, quod tota regio plena erat latronibus. Et iam à multis annis plurimi in populo extiterant, qui bellum expetebant, uel spe acquirendæ dominationis, uel pertæsi Tyrannici imperij Romanorum, & stulto zelo libertatis recuperandæ.

Summa, aduenerat tempus prædicti à CHRISTO & Prophetis interitus totius ministerij & politiæ, per Moisen diuina autoritate constitutæ, cum iam esset exhibitus Messias, propter quem utrunq́; fuerat diuinitus ad hæc usq; tempora conseruatum.

Quare sub hoc Geßio Floro, anno post Christum natum sexagesimo octauo. post crucifixum

et resuscitatum tricesimo quinto, Imperij Neronis duodecimo, regni huius nostri Agrippæ decimo septimo, triennio ante Paulum Apostolū à Nerone interfectum, exarsit bellum, Iudeis à Romano imperio deficientibus, orto principio in urbe Cæsarea.

Huius belli initia cum restinguere Florus facile potuisset, maluit flammam semel exortam alere et excitare, irritando semper magis Iudeos, et aliam iniuriam super aliam cumulando, donec tandem incendium acceptis uiribus longius grassatum, uastitatem extremam in Iudea effecit.

Sub initium defectionis Agrippa multum occupatus fuit, ut Iudeos à furiosa cupiditate bellandi ad tranquillitatis amorem reuocaret, et flecteret, ut pacem et delictorum ueniam à Romanis peterent, quæ tum mediocribus conditionibus impetrari haud difficulter potuisset, cum manifestum esset, ipsos non prorsus nullas rebellandi causas habuisse, propter intolerabiles contumelias Flori.

Sed non modo nihil æqui impetrare potuit Agrippa, uerum etiam conuicijs proscissus, ægre uim Iudeorum effugit.

Cum

Cum igitur uideret, suos gentiles ardore belli excoecatos, ruere impetu quodam ad interitum cepisse, se ab ipsorum rabioso conatu seiunxit, et profecto in Iudeam Vespasiano ad compescendos rebelles, auxilia misit, prospiciens iam tum animo tristem totius status Iudaici ruinam.

Huius belli historia, cum satis commode & prolixe sit à Iosepho & alijs quibusdam descripta, nolui eam hic attexere, abhorrente etiam animo ab expositione illarum horribilium cladium, et atrocitate sua fidem humanam excedentium. Neq; enim extat ullius gentis historia, quæ tot ac tantis calamitatibus tandiu pressa ac uexata, ad extremum miserrimis modis simul tota fere sit extincta.

Nam cum defecissent Iudei anno, ut dictum est, duodecimo Neronis, totos fere sex annos Romanorum exercitus in Iudea hostiliter, atq; etiam immaniter grassatus est, irritantibus subinde Iudeis sua inexpugnabili contumacia uictorem militem ad inauditam sæuiciam.

Sed ut de regionis totius uastatione taceam, unius ciuitatis Hierosolymorum miserias quis pro magnitudine æstimare potest? quæ ante quam hostes

Romanos uidit, longe crudelioribus intus hostibus toto illo sexennio afflicta est, ac distracta tot factionibus latronum audacißimorum, inter se rapinis, cædibus, incendijs etiam ad rabiem usq; certantium, cum nulla pars satis suum locum se tueri posse crederet, nisi alias factiones scelerum nouorum modis ac numero superasset.

Eo igitur furor tandem processit, ut pietatis ac moderationis opinio certißimam necem possessori afferret.

De locupletibus ciuibus certabant factiones, quæ prius interfectis dominis, in bona inuolaret.

Tenuioris fortunæ homines trucidare, erat tollere è medio inutilem turbam, & futuram oneri ciuitati obsessæ, & urbem ad tolerandam obsidionem diuturnam præparare.

Vno uerbo significare, aut uultu præ se ferre dolorem de præsenti licentia omnium scelerum, uocabatur proditio, & conspiratio cum Romanis, deniq; erat acerbißimo supplicio dignum facinus.

Simile erat, suos innocentißime interfectos lugere.

Pollucre

Pollucre templi sacratißimam partem cædibus ac sanguine, erat pugnare pro conseruatione templi & religionis patriæ.

Rapere sacros Thesauros ex templi gazophylacio, eosdemq; fœdißimo luxu profundere, erat mutuari sumptus ad defensionem cultuum diuinitus traditorum.

Capitale erat, fuga tantis malis sese subducere conari. Manentes autem in urbe, præter alias publicas miserias, cernebant etiam sua corpora, coniuges, liberos, fortunas, peßimorum nebulonum effreni libidini ac uiolentiæ exposita.

Breuiter, nullum cogitari potest iniuriæ aut contumeliæ genus, quod misera multitudo Iudeorum ab hoste metuere debuerit, non prius idem perpessa à suis defensoribus.

Non igitur terribilis amplius multitudini in urbe, sed ut diu expetitus & optatus, quasi recreationi esse cepit aduentus hostilium copiarum, cum oppugnata urbe factiosi cogerentur coniunctis uiribus externam uim propulsare, omisis intestinis latrocinijs ac conflictibus.

Postremo igitur semestri huius belli, exercitu hostili ciuitas cincta, post illas immanes latro-

num intra urbem direptiones & profusiones, horrenda fame laborare cepit, quam lues comitata est tam fœda, ut dicantur undecies centena millia hominum tempore obsidionis, fame et peste, extincta esse.

Maxima multitudo á seditiosis intra mœnia, durante bello, quotidianis cædibus interfecta est.

Postea hostium telis in oppugnationibus, postremo capta & incensa urbe, aliquot myriades perierunt.

Capti sunt belli tempore ad septem & nonaginta millia, qui partim uenditi, partim in magnas urbes in uicinia distributi, ludorum diebus laniandi feris obiecti sunt, alij in circo mutuis uulneribus, pugnantium hostium more, se conficere coacti, alij uincti ad Isthmum Peloponnesi perfodiendum missi sunt.

His tristißimis exemplis horrendæ iræ Dei aduersus contemptores Christi & Euangelicæ doctrinæ gens illa prope tota deleta est, cum diuinitus ita factum esset, ut festo Azymorum, quo ex tota Iudea Hierosolymam conuenire consueuerant Iudei, urbs

urbs cingeretur obsidione, & tunc quidem quicquid in tota regione fere erat perditißimorum hominum, prædonum, latronum, facinorosorum, fiducia munitionis, & spe securitatis Hierosolymam accurrerat.

Cum igitur primum Vespasianus quinq; annis fere totam Iudeam subegisset, plurimis urbibus munitißimis ui expugnatis, & ob inhabitantium peruicaciã direptis ac incensis, Vltimo semestri Titus ad urbem Hierosolymam exercitum adduxit, eamq; obsedit anno secundo Imperij patris, menses sex, quos appellationibus Macedonicis Iosephus uocat:

Ξανθικὸν	Quibus re-	Aprilis.
Αρτεμισιον	spondet fe-	Maius.
Δευτιον	re latino-	Iunius.
πάνεμον	rum.	Iulius.
Λώιον		Augustus.
Γορπιᾶιον		September.

Estq; hæc præcipuorum euentuum in illa obsidione, breuißime annotata series.

ANNO POST CHRISTVM NATVM, septuagesimo tertio. post eundem passum ac resuscitatum, ferme quadragesimo. post interfectum Paulum Apostolum, tertio. Vespasiani Imperatoris, secundo. belli Iudaici sexto:

Mensis

I.

XANTHICI. Aprilis.

DIE

14—Obsessa est urbs Hierosolyma instante festo Pascatis.

22—Frustra tentata deditione, Titus structis aggeribus, & admotis machinis urbem oppugnare cepit.

II.

ARTEMISII. Maij.

DIE

7—Primo muro capto, Bezetha, hoc est, Neapolis, pars urbis ultra templum uersus septentrionem recens adiecta, & ab Agrippa priore cincta muro, occupatur à Romanis.

12—Secundum murum capiunt Romani, & eodem die rursus eijciuntur.

16—Secundo muro iterum capto, potiuntur inferiore

riore urbis parte, quam ACRAN uocabant Iudei, ſitam in colle humiliore altero:

21—Amißis iam duabus urbis partibus, cum Iudei clementer inuitati á Tito, adhuc nollent pacem petere, aggeres extruere cœperunt milites ad Antoniam, iuxta tertium murum, qui intra duodecim dies perfecti, ſubiecto à Iudeis igne concremantur.

Intercedit igitur mora totius menſis DEVTII, quo interuallo murū circa totam urbem ducunt Romani, ut Iudeis commeatum, & facultatem fugiendi intercludant,

IIII.

PANEMI Iulij.

DIE

1—Titus commiſeratione plebis motus, quam ſenſerat propter paucorum obſtinatam peruicaciam fame et peſte abſumi, ut eam quam primum liberaret, cōgeſtis nouis aggeribus, oppugnationem difficilimam tertij muri & Antoniæ tentat. Erat autem id ædificium magnificentiſsimum & munitiſsimum iuxta templum, turris quadrangulæ ſpeciem, ſed arcis ampliſsimæ magnitudinem referens, ab Herode Magno in gratiam pontificum extructum, & ab Antonio triumuiro

appel=

appellatum, intra quod sacer ornatus summi sacerdotis asseruari consueuerat.

DIE

6—Antonia expugnatur, corruente ultro parte muri illo in loco, quà Iudei cuniculum egerant extra urbem, per quem prorepentes, aggeres hostium incenderant.

V.

LOII. Augusti.

DIE

8—Cum Iudei aliquoties prouocati ad pacem petendam á miti uictore, ut templo parci posset, conuicijs & telis legatos repulissent, templum ui capitur, cui contra edictum Titi, ab iratis militibus iniectus ignis opus admiratione dignissimum absumpsit, quo ipso die etiam á Chaldeorum duce Nabuzardan ante annos sexcentos septuaginta nouem, templum incensum fuerat.

DIE

20—Superioris urbis, quæ ciuitas Dauid uocabatur, oppugnatio inchoata est, postquam denuo admoniti Iudei de abijciendis armis, pacem oblatam respuerant.

VI.

GORPIAEI. Septembris.

Die

DIE

7—*Capta est urbis pars superior, cuius munitio erat templum, sicut templi propugnaculum erat Antonia.*

8—TOTA VRBS HIEROSOLYMA, PRIVS DIREPTA, ARSIT.

OCTOBRIS.

DIE

24—*Titus in urbe maritima Cæsareæ, natalem fratris Domitiani celebrans, ludos edidit uarij generis, in quibus Iudei captiui ad tria millia producti, partim à feris dilaniati sunt, partim armati commißi inter se trucidarunt.*

NOVEMBRIS.

DIE

17—*Berytum in Syriæ oppidum, Romanorum coloniam, profectus Titus, patris Vespasiani natalem celebrauit, productis similiter in ludorum spectaculis plurimis captiuis Iudeis, qui cum Romanorum & Græcorũ uoluptate obtriti, laniati, & mactati sunt.*

Hæc pauca de miserabili excidio eius urbis dicere uolui, quæ præcipua sedes fuit populi & do-

ctrinæ

ctrinæ Dei, ab octauo anno regni Dauidis usq; ad hoc excidij tempus, annos mille, centum, & triginta septem, ut nos commonefacti de inæstimabili ira Dei aduersus contemptum filij sui, & uerbi per ipsum patefacti, caueamus, ne uel studio opprimendi ueram doctrinam, uel obscurandi falsis conciliationibus, uel contemptu eiusdem, & scelerum licentia, similes ærumnas nobis accersamus.

Nunc ad Agrippam redeo, qui, ut supra dixi, detestatus suæ gentis furorem, & tristem interitum prospiciens, Vespasiano contra Iudeos bellum gerenti auxilia misit, atq; ita suos fines ab incendio illius funesti belli aliqua ex parte tutatus est.

Mortuo Nerone, cum cognouisset Galbam imperatorem factum esse, cum Tito Vespasiani filio Romam proficisci constituit, ut regni sui confirmationem à nouo imperatore impetraret.

Sed dum aduersis uentis usi, tardius nauigant, circa Achaiam nuncium accipiunt de interfecto Galba. Ibi reuertente in Syriam Tito, Agrippa nihilominus pergit Romam. Sed Italia bello ciuili ardente, cum iam Othone quoq;, successore Galbæ, interfe-

cto,

cto, Vitellius imperium rapuisset, Agrippa per literas suorũ propere in Iudeam reuocatus, adiuuit Vespasianum, ut salutatus à militibus Imperator, in Italiam cum instructo exercitu proficisceretur, pugnaturus cum Vitellij ducibus, relicto cum aliquot legionibus Tito filio, ad debellandos Iudeos, maxime Hierosolymitanos, ut dictum est.

Aliud, de hoc Agrippa, uel etiam de ulla alia Herodis Magni sobole nihil inuenio, nisi quod Philo scribit hunc Agrippam posteriorem annis 27 regnasse.

Mortuus est igitur iuxta hanc Philonis rationem anno Christi 78. Vespasiani septimo, post excidium Hierosolymorum, quinto.

Idem Philo huic Agrippæ filium fuisse scribit AGRIPPINVM, qui triginta annos post patris mortem regnauerit. Attigit igitur hic Agrippinus annum 108 post Christi natiuitatem, et Traiani imperatoris octauum, quem annum Philo sibi decrepito ultimum ætatis futurum esse prædixit.

FINIS.

Laus Deo.